

D E C R E T U M

Illustrissimi Archiepiscopi, ac Ducis

RHEMENSIS,

PRIMI FRANCIAE PARIS, &c.

Instat Institutionis Pastoralis, ad Facultatem Theologicam Universitatis
Rhemensis directum.Occasione duarum Thesium Theologicarum, in Collegio Societatis ejusdem urbis
habitarum, diebus 5. & 17. Decembris, anni 1696. [1]

CAROLUS MAURITIUS LE TELLIER, (2) Dei gratia Archiepiscopus, Dux Rhemensis, Primus Par Franciæ, Regiorum Ordinum Commendator, Regii Sacelli Præfectus, Sorbonæ Provisor, &c. Venerabilibus Viris, Decano, Magistris, & Baccalaureis Facultatis Theologicæ Rhemensis, Salutem, & benedictionem.

Carolus Cardinalis a Lotharingia, sæculi superioris insignis decus, ac noster quondam in Archiepiscopatu decessor meritissimus, quo novam perantiq; & Sanctissimæque Metropoli, (unde Regibus Christianissimis, totique Galliarum Regno fidei lumen affulsit, celestibusque in sacra sui Inunitione benedictionibus irrigantur iidem Augustissimi Principes) lucem adderet; a Paulo III. Pontifice Maximo, annuente Henrico II., veniam obtinuit anno 1547. erigendæ in hac urbe Rhemensis studiorum Academiae. Hanc ille expeditorem viam existimavit, qua in diocesi sua Divinas, atque humanas litteras promoveret, suisque deinceps successoribus, atque adeo & nobis, eruditio suppeditaret, qui, in ferendo, ex alto nobis imposto, onere, adjumento esse possent. Non illum spes vana fefellit. Ab annis quippe supra viginti quinque, quibus istud gerimus onus, non exigua nobis Academia hæc adjumenta contulit; cui & nos, quo potuimus, studio decus addidimus, magnaque identidem dedimus benevolentia, & existimationis argumenta.

Nos itaque, quibus ex Pastoralis Officii debito convenit servare depositum fidei; quique ex ejusdem Academiae fundatoris, & Præpositi titulo, tenemur, maxime sanioris doctrinæ fontem, unde in Seminaria nostra, totumque Clerum cumulate diffunditur, purum, & illibatum custodire: dissimulare nequaquam possumus, quid de duabus periculosis Thesis sentiamus, quæ in Jesuitarum hujus urbis Collegio, diebus 5., & 17. Decembris, anni proxime elapsi, propugnatae sunt.

Silentium nostrum hac dubio procul occasione exciperent universi, uti tacitam Molinianæ doctrinæ approbationem, quam unam circa Divinæ gratiæ questionibus ad Ecclesia catholica comprobata exhibent prioris Theos Defensores. Quin etiam ea ipsa exprobari nobis, si quidem taceremus, merito possent, quæ quondam Cælestinus Papa Episcopis Gallicanis objecit, de Presbyteris Massiliensibus sermonem habens, quos Prosper, & Hilarius coram Apostolica Sede traxerant: (3) Timeo, ne conivere sit hoc tacere. . . . In talibus causis non caret suspitione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret.

(1) Ad Paragrapum 4. Præfationis Hist. de Auxiliis. (2) Ex Gallico Idiome Latine redditur. (3) Tom. 2. Conc. gener. Edit. naviss. p. 1612. (4) Ibidem. (5) De Concor. lib. arb. cum gratia donis, &c. (6) Hæc eadem Editio indicabitur in hocce Mandato. In Panoplia gratia, tom. 1. par. tract. 6. cap. 2. (7) Is erat Theologus Doctor, & Professor in Academia Salmanticensi.

Abit, ut hæc in nos probra concitare velimus. Immo vero officii nostri, putamus esse in harum Thesium Auctores animadvertere, ut tandem ipsi aliquando sentiant, altam illam, quam de Molina suo opinionem ebibere libuit, non illos tamen eo usque efferre debuisse, ut indebitis ei laudes tribuerent, doctrinamque ex sola Ecclesiæ tolerantia permissam, Augustinianam, ab Apostolica Sede adeo solemniter comprobata, privata auctoritate præferrent. Erga correptantur hujusmodi, profectur Cælestinus (4) de Presbyteris Massiliensibus ad eosdem Gallicanos Episcopos, nec sit his liberum, pro voluntate habere sermonem.

His de causis, ac ne Thesis illa erroris anam fortasse præbeant, hac vos Institutione Pastoralis muniendos, existimavimus.

Harum Thesium prima sic habet, in prima tertiæ Columnæ Positione, quæ est De sententia Ludovici Molinæ. . . . Doctrina Ludovici Molinæ, aliorumque Theologorum, qui concordiam libertatis humanæ cum gratia Divina ope scientiæ mediæ tradere enucleatius, tentantur, ita ab errore Calvinii, aliorumque hujus ætatis fædiorum recedit, ut ad opinionem Pelagianorum nullo modo accedat. Et ideo tam valide impetita, toties a diversis generis hostibus impugnata, & coram Summis Pontificibus tam diligenter agitata, tanquam aurum in fornace, probata, purior inventa est, ut ait Maurolicus, & cum honore ex tot disputationum fluctibus emerit. Quæ sanæ Molinianis opinionibus commendandis usque adeo honorifica verba sunt, ut illustriora in iis attollendis usurpari nequaquam possent, si illas solemnè judicio Ecclesiæ comprobasset.

Verum statim atque Molinæ liber, (5) Ulyssipone typis editus anno 1588. (6) publici juris fuit, magno in Hispania tumultus opinionum novitate concitavit. Intercessit universus Prædicatorum Ordo, ac singulari zelo pro avita doctrina pugnavit.

Thomas de Lemos, Doctor, tot inter alios, quos isto, ac priori sæculo peperit Ordo ille, præstantissimus, fidem facit, hunc Molinæ librum Theologos, quibus pietatis, ac Religionis sensus inerat, usque adeo commovisse, ut etiam e Societate vir celebris Henricus Henriques, (7) prolixam in eum Censuram ediderit: ubi post expensas, gravissimæ censuræ confixas propositiones illius quinquaginta duas, ita demum de toto libro universim pronuntiavit. Licet Auctor admittendus videatur, ut apud Censores fidei purget se de vehementi suspitione, & intentione hæ-

hæresis Pelagiana, cui sæpe favet, & admonitus non desistit; liber tamen dignus est, ut omnino prohibeatur: nec enim purgari potest; cum passim infinitis locis seateat periculosus, & erroneis doctrinis. &c. In illa nova doctrina, addit Henriques, quam in præfata Concordia Auctor sibi arrogat, asserit, etiam, Sanctos Augustinum, & Thomam, & reliquos Patres, immo & Pelagium, aliosque hæreticos, si ad veritatem illam, fuisse sibi confensuros. Insuper haud satis modeste de Patribus, & Theologis loquitur: quin immo illorum sententias, quas ipsi certas, & indubitatas asserunt, ait Auctor iste, periculosas esse, & errorum occasionem, immo tollere liberi arbitrii libertatem, & nec ab illis, nec a Conciliis fuisse veritatem de Prædestinatione, & Gratia, atque libertate arbitrii declaratam, aut pla ne intellectam, antequam ipse hunc librum conderet. "En, inquit Lemos, Henriquez de Molinæ libro judicium.

Addit eruditus Dominicanus, (1) se multo duriora Jesuitæ hujus de Conciliis suo verba silentio mittere, ne injuriam illi videatur inferre. Subjungit idem ille, Episcopos bene multos, ac ipsam quoque Salmanticensem Academiam, hunc ipsum Molinæ librum Censura notasse.

Ut excitatæ turbæ, quarum insaultum in Hispaniis exitum timebat Philippus II. opporue filerent, ad Apostolicam Sedem provocatum est, quæ gravissimæ causæ cognitionem Romam acciuit. Nullo porro publico Instrumento liquet, Romanos Pontifices, Clementem VIII. & Paulum V. qui Auctoris hujus doctrinam variis Congregationibus, illorum auctoritate, ac sæpius ipsis præsentibus, celebratis, examinari curarunt, latas in Hispaniis contra Molinæ librum Censuras, atque judicia rescidisse, vel in suspensio posuisse: nullaque ratione evinci potest, Pontifices illos Molinianis opinionibus casu aliquo adfuisse. Quin potius certo certius est, eas illis & novas, & Sanctis Patribus repugnantes, visas esse, ac porissimum Augustino, cujus principis, in novi Systematis Molinianum examine, inhaerendum, voluerunt. Novarent quippe, decessores suos, de quibus nobis postea sermo erit, significasse sæpius, Romanam Ecclesiam, Sanctissimi viri doctrinam circa Divinæ gratiæ, & liberi arbitrii questiones, omnibus retro sæculis approbasse, coluisse, excepisse.

Quod hic de Summorum Pontificum, Clementis VIII. & Pauli V. dum Congregationes de Auxiliis haberentur, animo, ac voluntate dicimus, probata res est, atque omnibus nota. Nemo est, qui Clementis VIII. in retinendis, servandisque Prædecessorum suorum definitionibus, studium inviolatum, & ardens, vertere in dubium possit, ex quo nobis eruditissimi Cardinalis Baronii testimonio certo constat. Is quippe in Epistola, quam hoc sæculo ineunte, ad Viennensem Archiepiscopum dedit, fidem facit, hoc Beatissimo Patri in proposito fuisse, hoc in voto, hoc in decreto, ut nec latum unguem a vestigiis Prædecessorum recederet, sed iidem insisteret quam firmissime. Adit subinde, eundem Clementem VIII. scripsisse plane, tot Sanctos Pontifices, Innocentium, Sixtum, Cælestinum, Hormisdam, ac denique Felicem (cujus sunt Canones Africanæ Concilii) hoc professos suis scriptis esse, atque testatos, Romanam Ecclesiam in his, quæ spectant ad gratiam, & liberum arbitrium, sequi semper consuevisse S. Augustinum. Ac demum ultimo concludit, Hormisdam tot id verbis attestari, ut alio judicio opus non sit; cum jam in rem præjudicatam abierit.

In ea nihilominus Thesis, quæ die 9. Decembris propugnata est, (2) hoc Defensoribus studium fuit, ut Molinæ doctrinam, approbationis veluti sigillo munitam, venditarent: eamque non modo cum Augustiniana, tot Ecclesiæ commendationibus illustri, conferre fuit animus, sed & eam arrogantis efferre.

Equidem Clemente VIII. ad superos vocato, Paulus V. (cujus consilia introspicere, religio nobis est) meditatum judicium in suspensio posuit, & in commodiorem tempestatem consulto diffudit. At nemo inde, citra temeritatis notam, propterea colliget, probatum idcirco fuisse librum illum, de quo tam diu fuerat deliberatum. Post tam diligentem motæ litis tractationem, silentium Romanorum Pontificum approbationis loco jactare velle, hominum est nimis audacium; qui Sedem Apostolicam Protestantium calumnia committunt, qua eam de contempta jam tandem Augustiniana doctrina, novisque Molinæ inventis, in animum inducitis, accusant.

Quare, quantum libet hujus Thesis Auctor in despicienda, futilique Maurolici sui auctoritate fidem ponat, ferre nullatenus possumus, eam immoderatis adeo laudibus doctrinam efferri, quæ ex ipsa sui origine, sinistra, ut minimum, suspitionis labem incurrit: quod & ex antedictis, & ex probatissimorum hujus ætatis Scriptorum suffragio perspicuum est: maxime vero ex Cardinalis Baronii, cujus acere judicium magni apud omnes ponderis est, Epistola, paulo ante laudata.

Significat statim ab initio meritissimus Cardinalis, se Molinæ libros non sine stomacho legisse; in quibus nihil potentius præ se fert, quam S. Augustino adversari; quanquam Sanctum nunquam nominet. Addit Baronius: eo usque temeritatis venisse Theologum illum, ut Augustinum oscitantia redarguat, seque in illis disputationibus vigilantior, perspicaciorque jactet. Quis possit talia loquentem absque nausea tolerare? Subjungit præterea, se ad quinquaginta, & amplius propositiones notasse, verba, phrasas, erroribus Pelagianorum, sive Semi-pelagianorum affines; nec id ab ullo negari omnino posse, qui Molinam abque privato affectu perlegerit. Quid mitius iis de Molinæ lucubrationibus sentiret, hoc extremo judicio expressit: Quid Ecclesia Dei indignæ hujus Molinæ libri, ut dicitur, quæ a tot Sanctis Patribus, Conciliis, atque Decretis, jam ante tot sæcula didicit, & docuit?

Tota hæc Epistola, (3) quæ anno 1603. data est, pendentibus scilicet Congregationibus de Auxiliis, nec non sub Clementis VIII. Pontificatu, qui Baronium anno 1596. ob egregia pietatis, & eruditionis merita, Sacris Infulis ornaverat, paucis adeo nota est, tanti tamen hac in parte ponderis habenda venit, ut eam, ad hujusce decreti calcem, ex integro referendam, putaverimus.

Id observatione dignum occurrit; Molinam damno suo de propria doctrina decretorio quodam modo præjudicasse; dum eam & novam, & Ecclesiæ ignotam hætenus, fassus est. En ejus verba: (4) Quæ si data, explicataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare; obtendentes cum Divina gratia, præscientia, & prædestinatione, coherere non posse: neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque descissent: faciliusque reliquæ ille Pelagianorum in Gallia, quarum in Epistolis Prosperi, & Hilarii sit mentio, fuissent extinctæ. Quid plura? In alte-

(1) Tom. 4. lib. 4. par. 1. tract. 4. cap. 34. Et tom. 1. 2. par. tract. 5. cap. 35. (2) 1. Post. 3. columna. (3) Nihil necesse est, ut in hac Editione Epistola hæc ad hujus Decreti calcem referatur, cum integra relata jam fuerit. l. 1. c. 14. pag. 63. (4) l. 1. Conc. qu. 29. art. 4. disput. 1. membrum ultimo.

altera Concordiæ suæ Editione, quam ann. 1595. novis additamentis auctam, typis dedit Antverpiæ, eo devenit audacia, ut sciberet; (1) *D. Augustinum, sub ea quasi caligine positum, ad hoc non attendisse: scilicet, Fuisse Prædestinationem, & reprobationem non sine præscientia qualitatis usus liberi arbitrii.*

Hinc experiri licet, quo lumine, quibusve præfidiis defraudatam Ecclesiam existimaret auctor ille; donec ipse mundo illuxisset, suaque inventa fidelibus eructasset. Quis inauditam adeo impudentiam æquo animo ferat, qua sese in Sanctissimos Divinæ gratiæ defensores audacius effert, ac præsertim in Augustinum, quem, pro enodanda tanti Mysteriorum altitudine, datum cælestis Romana semper agnovit, & commendavit Ecclesia? In suum certe caput ea loquendi ratione pronuntiat Molinæ, suoque se gladio ferit, dum hæc habet. Nec vero quod subinde addit, præconceptæ de se vanæ fiducia, & arrogata sibi præ omnibus Ecclesiæ Patribus, exponendarum Divinæ gratiæ questionum dexteritatis opinionem eluunt, sed verius augent: *Nec dubito, quin ab Augustino, & ceteris Patribus unquam consensu comprobata fuisset hæc nostræ de Prædestinatione sententia, varioque conciliandi libertatem arbitrii cum Divina gratia, præscientia, & prædestinatione, si in his proposita fuisset.*

Tantum igitur adest, ut Molinæ doctrinam, velut Ecclesiæ approbatione dignam, excipere liceat; quin potius illum ipsum, veluti virum propriis signentis, ceterorum more, delectatum habere, necesse est, ejusque doctrinam, inausulta novitatis, & audaciæ labe ab ipso sui Auctore notatam, exhibilare. Id dubio procul compertum habebit, quisquis verba ejus paulo attentius observabit: *Longior, inquit, sui in hæc disputatio, quam optatam... quia res est magni momenti, ac veluti lubrica, & hæc nostræ ratio conciliandi libertatem arbitrii cum Divina Prædestinatione, a nemine, quem viderim, huc usque tradita est.*

Typhanius, Molinæ Sodalis, ac Theologus præstantissimus, hæc illi de novo invento gloriatioem eripit, dum de scientia media, quam cumulate tractavit, ita pronuntiat: (2) *Scientiam mediam rejicimus, non ut erroneam, aut in fide viciosam, sed ut falsam, ut novam, ut nullum solidum in Scriptura, in Sanctis Patribus, in S. Thoma, aliisque vetustioribus Theologis fundamentum habentem: ut superflua ad Sacre Scripture intelligentiam; ut inutilis ad humanam libertatem tuendam, aliasque difficultates Theologicas expediendas.*

Petavius, (3) Sodalium alter sapienter observat, scientiam illam mediam præcos Ecclesiæ Patres latuisse; eaque ne vel unam difficultatum omnium enodari, quibus defensores ejus, Augustinianam doctrinam obfideri, ac laborare, sibi putant.

Qui Molinæ doctrinam Jesuitas inter amplexi sunt, altiore opinionis ejus originem repetere, eamque ex SS. Patrum, atque etiam D. Augustini fontibus derivare, moliantur: quod & nunc hujusce Theſis auctor admittit. At usque adeo, petitis ex Sanctissimo Doctore, probationibus parum fidunt; ut Suares ipse, primi inter illos subfelli Theologus, qui Molinæ in explicanda Divinæ gratiæ efficacia conciliationem amplexus est, eam a S. Augustino, nunquam satis expresse declaratam, fatetur; (4) demum coactus sit. Cujus quidem (quod stupendum magis) rationem af-

fert, *Quæ res est, inquit, difficillima, & ab humanis sensibus remotissima. Interea, dum is, (5) infallibilis Divinæ gratiæ efficacitatis rationem, nunquam satis ab Augustino expressam, docet, mittendus profecto est ad Sanctissimi Doctores loca, propemodum infinita, quibus eam in suavi, atque victricis delectatione positam, docet, qua Pater eorum corda perfundit, quos, ut loquitur Evangelium, trahit ad Filium. Cæterum duo hæc ex Suaresii verbis colligere licet: primum, traditam ab eo post Molinam suam, tanti Myſterii expositionem, ab Augustino procul esse: alterum, eum rei, ut fatetur difficillimæ, explanationem aliunde, quam ex Sanctissimi Doctores operibus repetendam existimasse.*

Ultra eam Molinæ, ejusque Sectatorum confessionem, qua vel una suspecti sunt; dum in re, solis Scripturæ Sacre, ac Traditionis legibus definienda, novitatis suo ipsorum testimonio convincuntur; id potissime notandum venit, Molinæ doctrinam tot aliunde erroribus infici, ut, quibus ab hujusce Theſis auctore coronatur, laudibus indigna proferri haberi debeat. Cæterum quippe est, Molinam non casu, & obiter, sed ex instituto, conceptissimique articulis hunc in Concordiæ suæ libro Semipelagianorum errorem astruere: Deum iis gratiæ suæ dona largiri, qui nativi arbitrii viribus adnitantur. Quocirca sic suam ille sententiam exponit: (6) *Facienti, quod in se est, per naturæ vires, Deus non denegat gratiam. Quotiescunque liberum arbitrium, ex suis viribus naturalibus, conatur, presertim ad conandum totum id, quod ex se potest, tam circa ea, que fides habet addiscenda, & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis, ac Justificationem, a Deo confertur gratia præveniens, auxiliativa, quibus id faciat, ut oportet ad salutem.*

Quo Molinæ principio constituto, sponte fluit ille ipse Pelagii quondam error, quem is in Concilio Diopolitano (7) ejurare jussus est; suæque deinceps hæreses caput Semipelagianum poluerunt; gratiam scilicet prævenientem nativis liberi arbitrii conatibus præveniri, Equidem Molinæ, ejusque Concordiæ auctores, a meriti vocabulo proferri abstinent. At nec ab eo quoque vocabulo reticendo procul absentes Massilienses, modo (quovis tandem id titulo liceat) salutis exordium, ac ipsa Justificationis prima radix, nativis liberi arbitrii viribus adscribantur. Ea liquidem arte, nullo negotio eluderentur, que nos Scripturæ Sacre, Majorumque Traditiones de gratuita Divinæ gratiæ vocatione docuerunt.

Sanctissimus Pontifex Leo, [8] cognomento Magnus, qui horum hæreticorum versutias adeo feliciter internovit, ac profligavit, non abfimes illorum artes eleganter expressit, dum ait, Pelagianos, callida simulatione, reprobare in speciem, solitos esse, odiosas minufque ab Ecclesia probatas loquendi rationes; modo tota arte fallendi, doctrinæ suæ caput in tuto ponerent; gratiam scilicet Dei secundum merita nostra dari. Merito certe systema suum, Augustini ætate proferri ignotum, dixit Ludovicus Molina, Sua sane Pelagianum verba paulo aliter composuissent, tacitaque meriti voce, ac data Molinæ dextera, gratiam Christi, sin minus nativis conatibus, virtutibusque promeritam; illdem saltem indivisam, & humanæ industriæ pedessequam prædicassent. Verum, est

erſi Pelagiani, verbis ita paululum immutatis, in Molinistarum castra venissent; non illos idcirco Leo Magnus, non illos sui temporis Ecclesia suscepisset: Quas etenim Ecclesiæ doctores postulare, ut Pelagianismi notam quis effugeret, ab Leone Magno (1) discere licet. *Nisi gratis detur, inquit ille, non est gratia, sed merces, retribuendoque meritorum: dicente Peato Apostolo, GRATIA salvati estis per fidem; & hoc non ex vobis; Dei enim donum est; extollatur, non ex operibus, ne forte quis. Cum itaque gratiam gratis datam faceret, necesse sit: hoc est, Dei (ut loquitur Canon. 6. Concilii II. Araucanici) misericordia collatam, non nativis liberi arbitrii conatibus, unde gloriosi homo posset, obtentam: quisquis gratiam Dei, quovis quæſto diverticulo, humanis conatibus, virtutibusve naturalibus certo dari, profiteatur, Apostolo, Augustino, ejus interpreti fidelissimo, Leoni Magno, ac toti demum Ecclesiæ contradicit: (2) *Gratiam Dei sic conficitur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse, non dubitet.**

Suis fatis implicitus rebus hæreticis prioris hujus Theſis Auctor, si Molinæ sententiam, naturæ plus julto faventem, a Semipelagianismo errore, quam tertia positione tertie Columnæ delineat, fecerere vellet. (3) Et vero, qui non piam dumtaxat credulitatem, sed & ipsam etiam fidem supernaturalem, cæterasque gratias omnes, nativorum liberi arbitrii conatum comites, ac pedessequas individuas agnoscit, sine hoc in capite Semipelagianismis tolerabilior? Nihil æque Sacris literis, veterique Traditione expressum occurrit, ac generalis humanæ naturæ ex Protoparentis peccato contracta corruptio, & redemptricis gratiæ secuta necessitas. Tota hinc natura simul, & gratia Myſteriorum enodatio repetenda. (4) Fidei dogma est, universa fauciari homini desideria, cogitationes, affectus, sponte sua in malum rueri, nisi Divinæ gratiæ adjutorio reparetur: [5] Non esse nos sufficientes, ut Apostolus loquitur, cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; (6) bonum aliquid, quod ad salutem pertinet æternæ vitæ, cogitare non posse: (7) Omnes declinasse, simul inutiles factos esse; non esse, qui faciat bonum, non esse usque ad unam. Qua itaque forte, in corrupta adeo, & inquinata nature sinu eas dispositiones comminisci, Molina potuit, eamque (ut infra videbitur) laudabilem fidem, tamen minime supernaturalem; caritatem illam, & contritionem; illos, uno verbo, liberi arbitrii conatus ingentis, quibus, suprema veluti potestate, supernaturalem gratiam adpromittit? Ea humanæ naturæ generalis corruptione, toties ab Apostolo (8) prædicata, permoti Araucanæ Synodi Patres; vivisque Sacram Scripturarum luminibus, ac ipsis, ut ita dicamus, tractabilibus cordis humani tenebris insigniter eruditi, dignam illam protulere sententiam: *Nemo habet de se, nisi mendacium, & peccatum.* Qua ergo nunc fronte dicat aliquis, hominem, ingenta sibi labe, excæcatum, atque corruptum, ac sua etiam excitate, & corruptione delectatum, nativis ad Justificationem,

Serry Tom. II.

(1) *Epist. 86. ad Aquil. Epist. (2) S. Aug. l. de grat. Ch. c. 26. (3) In eo Semipelagianii errant, quod ad aliquam piam credulitatem, que esset initium salutis, vires liberi arbitrii sufficere, dicerent. (4) *Gen. c. 6. v. 5. c. 8. v. 21. (5) 2. Cor. c. 6. (6) Conc. II. Araucan. can. 7. (7) Ps. 13. v. 3. & seq. (8) *Ad Rom. c. 3. v. 9. & seq. (9) Lib. de grat. Ch. cap. 23. (10) Bonorum operum donatio ab istis ideo per naturalem industriam dicitur præveniri, ut que ante gratiam proprio clara sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere fauciata, falsumque sit, quod Veritas ait, Quoniam Filius hominis venit querere & salvare, quod perierat. In eadem Epist. ad Aquil. Epist. (11) *In Concord. quæst. 14. art. 13. disp. 3. (12) Peccatum primi parentis solum in gratuito nobis nocuit; & ob id naturalia in nobis, & in Angelis, post peccatum, integra remanserunt, qualia essent suapte natura, si nullo dono supernaturali fuissent affecti. Ibidem. (13) *Lucæ 10. v. 30. (14) Conc. Araucan. can. 1. (15) *Trident. sess. 6. cap. 1. (16) *Qu. 14. a 13. disp. 3. (17) Cum in Pelagiano judicio Pelagio fuisset obiectum, quod diceret, infantes nuper natos, in eo statu esse, in quo Adam fuit ante peccatum, negavit, se dicere, idque damnavit. S. Aug. l. 1. oper. impri. contra Julian. num. 96.*******

& salutem viribus adeo feliciter eniti, atque conari, ut ex certa lege supernaturalis gratia consequatur? *Ergone, clamaret attonitus Augustinus, (9) si attritas illas jam pridem fanaticas opinionationes ætate nostra recoqui cerneret, ut pervenirent ad adjutorium Dei, ad Deum curvitur sine adjutorio Dei? Sed & quid tandem sibi volunt, qui nativas liberi arbitrii vires, Molina doce, sic effugerunt? Quid aliud illi moliantur, nisi (quod Leo Magnus (10) observat) occulta dexteritate originalis peccati labem obtegere; insidicum vulnus, quo vel uno humana superbia contundi potest, mortalium oculis studiose præcipere: negati demum originalis peccati (quod de iis existimare pronum est) aut certe minus ab illis agniti, suspitionem ingenerare?*

Neque vero evanidis conjecturis ducimur, dum generalem humanæ naturæ depravationem a Molinæ minime cognitam suspicamus. Hunc si audiamus, (11) ingenitæ naturæ vires tales in homine lapsu manere, quales illas effemus in puris naturalibus habituri, nullo Originis vicio fauciati. Amissa quidem in Adam supernaturalia dona, proficitur, at nihil ultra mali ex Adami peccato derivatum agnoscit. (12)

Non eum latere quidem poterat, nec re ipsa latebat, in Scholis, & Ecclesiæ receptum effatum, quo contracti ex Protoparente vulnere gravitas demonstratur; quandoquidem illud post paginam alteram laudat; nemoque Christianorum est, qui fatali experimento non probet, lapsum hominem, nedum spoliari graviter, sed & in naturalibus vulnerari; non secus ac miserum illum, qui ab Jerusalem descendit in Jericho: (13) quem Ecclesiæ Patres, ut lapsi hominis tyrum, exhibent. Non eum denique Synodorum Araucanæ, (14) ac Tridentinæ (15) Canones, ab ipsomet laudati, latebant, quibus decernitur, hominem nedum fuisse donis supernaturalibus spoliatum, verum & totum, secundum corpus, & animam, in deterius commutatam.

Iis atamen insuper habitis, jactis Principiis, Pelagianismo affinis, stat immotus, & a Conciliorum testimoniis insula distinctiuncula expediri se posse, putans, veluti futiles Scholarum sanarum argutias dissiparet, fidenter pronuntiat, (16) *Concilium Tridentinum & Araucanum loqui, comparatione virium, quas liberum arbitrium habebat in statu innocentie, ex presentia Justitiæ originalis; non vero comparatione virium, quas habuisset, si homo in puris naturalibus esset conditus.*

Heu miseros Pelagianos, tali Magistro, atque Doctore destitutos! Quam feliciter, institutore Molinæ, definitiones Ecclesiasticas elusissent! Certe non erant illi adeo stolidæ amentes, ut eo nunc felicitatis statu positum hominem, essentirent, quo fuerat ante peccatum. (17) Id unum, iniqua, & Molinæ germana, miseratione commoti, sibi finxerant, non ea peccatum Adæ vulnera posteris intulisse, quibus fauciatis, se Catholici profiterentur, & ingemiscunt. Quid vero prodest, si quod ille, sumum inter, ac Pelagianum dogma, verbo tenus discrimen assertat? Negat equidem, homines,

nes, ingenitis arbitrii viribus Christi gratia dignos, eamve ulla ratione promereri: (1) ab odiosis Pelagianorum elocutionibus, quibus Christi meritem (uti eis non semel Patres exprobrant) cassam faciebant, studiose temperat; quin etiam hominem, non nisi gratuitis, Christi merito partis auxiliis justificari, proficitur. Verum invertit, deformatque omnia, integrare dum nititur. Pactum Patrem inter & Christum comminiscitur, Pelagianis, ceterisque, quos noverimus, omnibus, ac ipsi etiam Gentium Apostolo (2) profus ignotum. En illud, ut ex Molinae cerebro prodiit: *Id obmittit nobis Christus ob sua merita: atque inter leges, quas tam ipse, quam Pater aeternus statuerunt de auxiliis, & donis, que nobis Christus promeruit, nullo gratis conferendis, una, eaque rationi maxime consentanea fuit, ut, quoties, ex nostris viribus naturalibus conavimus, facere, quod in nobis est, prestare nobis essent auxilia gratiae, quibus ea, ut oportet ad salutem, efficeremus. Ut ea ratione, dum effemus in via, semper in manu liberi arbitrii nostri posita esset salus nostra, per nosque ipsos staret, quod ad Deum non converteremur.*

Certe Pelagianos usque adeo obfirmato animo fuisse, nemo dixerit, ut ad eas Molinae compositiones venire, pertinaciter detrectassent. Quid enim re ipsa postulabant? Nisi, ut in singulis Adae posteris sufficientes natura vires admitterentur, quibus gratia omnes (mereri quidem, ne dicamus, quandoquidem Molinae, uti & Ecclesiam verbata offendit) adipisci possent, quoties liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, prestare est ad conandum. Quid ultra ad hominis comitandum eis erat in votis, quam quod festive Molinae comminiscitur? Ingenitis scilicet naturae studiis, & affectibus gratiam respondere; idque adeo certo, & indivulso, ut ne scientius quidem, certiusque adfuturum sibi naturalem, & universalem concursum, adpromittere sibi possit, quisquis secundum naturam agere meditatatur, quam adfuturam sibi gratiam, quisquis ad bonum nativis conatibus nititur. (3)

Suis sane commodis minus bene consulissent Pelagiani, si sacro, rectoque doctrinae capite, minus de pristina tenacitate, pro Christi gratia remississent, quam Molina ipse, ad liberi arbitrii commendationem, de Ecclesiae doctrina remiserit. Si etenim res intinuit attenditur, positis Molinianae compositionis conditionibus, post tot erecta ab Augustino, & Gentium Apostolo Divinae gratiae trophaea, liberum arbitrium ambitiosius triumpharet: ac, reluctantis licet Scripturarum, & Traditionis Oraculis, salus hominis, si penes Molinam iudicium staret, non a Deo, pro arbitrio miserente, (4) sed ab homine propriis conatibus volente, ac concurrente penderet. Semper, ait ille, in manu liberi arbitrii posita est salus nostra.

Si sic est, si itant pacta illa conventa, vix ultra nobis est cum Pelagianis aliqua de re disputandum. Id exemplo compertum erit. Tot inter agitatae olim in Ecclesia, controversias ea fane gravissima fuit, quae de peccati originalis transmissione, ejusque vulneribus in Adae posteris movebatur. Mirum, quantum haec Pelagianis, nimis, pro more suo, humanis, & indulgentibus stomachum fecerit. Verum mollescere, ac becti neficia veritas oblitit, ne quid unquam Ecclesia hac in

parte remitteret: maluitque, Sacris oraculis emittita, aite de Divina iustitia severitate sentire, quam projecta haereticorum, ac licentiorum hominum somnia confectari. Id nobis certo persulfum, nihil plus Ecclesiae probari Molinianam de peccato Originali, quam de Divina gratia, & praedestinatione sententiam, Pelagianosque, lubeantibus animis, excepturos fuisse.

Quid porro, circa Originalis peccati dogma, veteres illos haereticos offendebat? non certe, quod pueros, pro Regno caelorum adipiscendo, baptizandos Ecclesia crederet. (5) Explicatus eis Evangelium hoc in capite videbatur, quam, ut in dubium verti posset. Immo nec peccatum originale, suo tamen arbitrato expositum, fateri Pelagus detrectavit, in Synodo Diopolitana; ac velut impactam sibi calumniam propulsavit, quod illi a nonnullis exprobrabatur, *Quod infantes, juxta ipsam, etiam si non baptizentur, vitam aeternam habere possint: errorem hunc, ejusque sectatores libere condemnavit.* Qua itaque parte Pelagianis a Catholicis dissidebant? Ita maxime, qua totius difficultatis cardo vertebatur: quod videlicet duram nimis, & inhumanam opinionem arbitrantur, quam Ecclesia, Scriptura duce, ac vindice Augustino, tuebatur, parvulos non modo vitiatam ex Adam originem ducere, nulloque vel minimo ad salutem conatu se ipsis eniti posse; sed & illos aeternum damnatum iri, nisi Sacris fontibus expiati, in Christo renascantur. Augustinum, ceterosque Catholicos trudebant, ut iniquos Divinae bonitatis hostes, crudeles, barbaros: Manichaeos, pro sua in humanum genus miseratione, vocitabant. Omnia demum in illis regerebat probra, convicia, maledicta, ut caeca illos, & iniqua humanitas concitabat. Quisquis controversias illas penitus, & intimius attigerit, eo universa recidisse, nullo negotio fatebitur. Si Pelagianis dedisset Ecclesia, parvulos, minime tinctos, aeternis miseris nullatenus esse addicendos, aut naturali, ut ajunt, felicitate esse potituros, sua satis forte contenti, gradum sine dubio retulissent. At nulla unquam Ecclesia, vel Augustino, ubi fidei summa vertebatur, compositio probata est. Unus Molinae mitioris concordiae genus commentus est, Catholicis non minus exosum, quam Pelagianis acceptum. Quid novus ille dogmatites, insolita lace perfusus, totaque Ecclesia Catholica, & Augustino longe humanior, venditaret, audiamus.

(6) *Parvuli reprobati*, inquit ille, *perinde se habebunt, ac si in solis naturalibus fuissent constituti: immo post diem Judicii, cum ipsorum animae suis fuerint corporibus restituta, ab omnibus molestiis, & eruminis, quibus in hac mortali vita subjacemus, supernaturaliter, melioremque in naturalibus vitam, vitio omni mentis, & corporis immunem, in perpetuas aeternitates ducunt, quam ullus unquam mortalium duxerit.* Quid ergo? ad easne conditiones cum Molina descendere, Pelagus detrectasset? Si hoc eis non erit malum, a Dei Regno separari: non itaque summum bonum erit Regnum ejus, ajebat olim Augustinus (7) de parvulis, sine baptismo morientibus. At Molina, adverso in Augustinum animo actus, & amica cum Pelagianis confessione illectus, de gravi supercilio pronunciat, illos, citra inhumanitatis vitium, infelices appellari non posse, quos tamen ire filios appellat

Apo-

(1) Non quidem, quae conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullaque ratione ea promeretur. *Quaest.* 14. a. 13. *disp.* 10. p. 44. (2) Quid ergo dicemus? Quod gentes, quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quae ex fide est. Israel vero, sectando legem iustitiam, non pervenit. Quare? Quia non ex opere sed quasi ex operibus. *Ad Rom.* 9. v. 30. 31. & 32. (3) *Quaest.* 14. a. 13. *disp.* 30. hinc semper praesto est per concursum generalem libero arbitrio, ut naturaliter velit aut nolit, prout placuerit; ita praesto illi est per auxilium gratiae sufficientis, ut quoties ex suis viribus naturalibus agendi voluerit opus aliquod ex his, quae ad iustificationem spectant, illud exsequatur, prout ad salutem oportet. (4) Non volentis, neque contentis, sed miserentis ad Dei. *Ad Rom.* 9. v. 16. (5) *Aug.* *cont. Jul.* lib. 1. cap. 5. (6) *Quaest.* 23. art. 4. & 5. *membr.* 8. (7) *Cont. Jul.* lib. 2. c. 10. n. 32.

Apostolus. (1) In viro Originali peccato, ac reluctantis Scripturis, & Traditionibus, eos in paradisiu deliciarum, Molinianis manibus confutum, inducit, quos Deus e suo una cum Adam olim expulit, & procul a facie sua aeternum arcebit. *Meliorum in naturalibus vitam in perpetuas aeternitates ducunt; quam ullus unquam mortalium duxerit.*

Gratias Molinae maximas, si tantum in rescindenda Originalis peccati damnatione auctoritatis haberet, quantum ejus in promovenda doctrinae sectatores obtinent! Ad Ecclesiam nihilominus famam, id certo fatendum, Molinae opinionem nequaquam, hoc saltem in capite, ex indulgentia permitti; tamen Auctor ex nomine damnatus non est. Concilium generale totius Africae, contra Pelagium, & Coelestium anno 418. celebratum, totius orbis Ecclesiarum, a quibus acceptum est, sententiam dixit: (2) *Si quis dixerit, ideo dixisse Dominum: In domo Patris mei mansiones multae sunt, ut intelligatur, quia in Regno caelorum erit aliquis medius, aut ullus alicubi locus, ubi bene vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migraverunt, sine quo in Regnum caelorum, quod est vita aeterna, intrare non possunt, anathema sit.* Quisquis ergo errorem illum protulerit, sit ille Pelagus, aut Coelestius, sit ille Molina, si quis dicit, anathema esto. Ac, ne ambiguis duplicis felicitatis vocolis difficultatem eludere, sibi patet lepidus Cavilator, reliqua Canonis verba ponderet, & ab iis, si quidem potest, sibi caveat: *Nam cum Dominus dicat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum caelorum; quis Catholicus dubitet, participem fieri diaboli eum, qui coheres Christi esse non meruit?*

Si quis iis, insuper habitis Molinae fimentis, omni retro tempore ab Ecclesia reprobatis, etiamnum Pauci velit; eruditam Dissertationem consulat Theologi celeberrimi, (3) quem eximia merita, & iusta Pontificis existimatio ad Purpuram extulere, invita, ac frendente calumnia, extrema quaeque tentante, adnitente, machinante, ut, injecta infamia, dignam tot virtutibus mercedem eriperet.

Nobis tamen nullus est animus, sanctos sine baptismo parvulos, ipsius etiam sensus poenae multatos, decernere. Orbati Deo, plus satis, aeterna miseria loco illis erit. Idque cum Augustino (4) statuendum, futuros illos in omnium levissima, atque mitissima damnatione. At non idcirco dicere licet, nisi Pelagianis assentiri velimus, illos minime miseros, aut etiam, quod peius sonat, felices, ac supra mortalium sortem, feliciores exituros.

Sed ad Thesum, unde divertimus aliquantulum, redeamus. Si Molina iis est laudibus coronandus, quos illi plena manu tribuit; ejus ergo doctrina, velut unice comprobata, excipiendi nobis erit, iis saltem in capitibus, ubi sola, post Molinae sententiam, exponitur haereticorum assertio. Rigidoribus Calvinianis quodam saltem pacto concedenda lis erit, qui Sedem Apostolicam tam falso, quam imprudenter incusant, quasi Augustino relicto, ad Moliniana castra transferit: gratulandum & Arminianis, qui Molinam Augustino praetulerit: exprobandum Divinae Gratiae vindici (uti & Hispanis ille impudentius audeat) quod Ecclesiam turbavit imprudens, veterumque, ac recentium haereticorum partibus incoluto vires ad-

Serry Tom. II.

diderit. Ac demum, quod lugendum magis, dum interim Augustinum despiciat impune habet Molina, erunt nobis fabulae ejus summae veneratione, suscipiendae. Mirum! Illi ergo garrisse fas erit Augustino, ac Synodis concalcatis, & veluti res percussis, Christi, ac Sanctissimae Matris animadmirco praeter ceteris ad tantum dignitatis fastidium evectas esse, quod illas Deus reliquis meliorem innata libertate usuras praeviderit: (5) fas erit batiolari, Scripturis, & Ecclesiasticis definitionibus repugnantibus hominem lapsam integris aequaturae viribus stare, ac illas erat in puris naturalibus habiturus, nullo peccati vulnere sauciatus: fas erit effutire, pueros, sacro fonte mini, ne expiatis, aeternum secundum naturam fallaces ac supra quam ullus mortalium fuerit, feliciores exituros. At tandem, refricatis licet, atque recocis per Molinam Nestorianis, Pelagianis, ceterisque bene multis erroribus, hunc tamen impune laudibus coronabant Thesis hujus Auctores, ejusque doctrinam, tot notis infamata, periculosam, malefanam nobis obtrudunt, ut aurum in Judicii Pontificii fornace diu liquatum, ac probatissimum?

Ceterum id praeter ceteris observandum, Molinam novos illos Minervae fae parcos effudisse, velut Scientiae mediae, cujus se auctorem dicit, digna semina. Id ejus verba plus satis innuunt: (6) *Cum Deus sua scientia praevideat, quinam ex iis, qui audituri sunt Evangelium, conaturi sint, ex suis naturalibus, ad assensum efficiendum, ut tententur, & qui non; sane, ut a peccato non excusentur, qui assensum fidei supernaturalem non eliquerint, satis est, Deum suo auxilio, & gratia praesto esse ad praeveniendum in eodem instanti, quoscunque praeviderit ex suis naturalibus ad assensum conaturos, ut ita non quidem tempore, sed natura praevenerit, talem eliciat fidei assensum, qualis necessarius est ad salutem.*

Explicatus profecto doceri nequit, Deum sua illis auxilia parasse, quos se ipsi, atque ingenitis viribus acturos, novit: quod ipsum in Pelagianis olim damnavit Ecclesia. Sic sane in errorum abissum praecipites ruunt, qui, inani fiducia tumidi, de altissimis mysteriis arguantur. Non abfinitili confidentia, alterum istud temerarium, & captiosum dogma posuit: (7) *Liberior arbitrium, solo concursu Dei generali, elicere posse assensum fidei, actu, qui sit mere naturalis.* Nec vero aliter de spe pronuntiavit, quoad actus substantiam attingit. Ac demum de Caritate sermonem instituens, idem, quod de reliquis virtutibus Theologicis, ponit. (8) *De dilectione, inquit, non est, quod seorsum a contritione differamus, cum contritio eam includat.* Quibus positis, ita decretorie pronuntiat: (9) *Liberior arbitrium, cum solo concursu generali Dei, elicere potest, non solum actum contritionis naturalem, id est, dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito amplius non peccandi letaliter; sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum non peccandi amplius letaliter includat.* Haec porro si cum aliis paulo antea positis conferantur, dilectionem scilicet contritione includi; consequens profecto est, naturam ipsam, secundum Molinae principia, sibi soli relictam, solo concursu generali opitulante, fidem, spem, & caritatem, quoad substantiam actus, habituram: tamen non aliam Ecclesiae Patres fidem, spem, & caritatem agnoscent, quem quae, secundum Apostolum, ex gratia fobolescunt.

Y Y 2 Au-

(1) Erasmus natura filii irae. *Ephes.* 2. v. 3. (2) In append. ad tom. 10. S. August. (3) Card. Henricus de Noris, in *Vindiciis Aug.* c. 3. §. 5. (4) Lib. 5. cont. Jul. cap. 11. in *Enchir.* cap. 93. lib. de pecc. merit. (5) *Quaest.* 23. art. 4. & 5. *disp.* 1. *membr.* 9. (6) *Quaest.* 14. art. 13. *disp.* 7. (7) *Ibidem.* (8) *Ibidem.* (9) *Ibidem.*

Audiendus hoc præsertim in capite Canon 6. Concilii Araucanici: *Si quis sine gratia Dei volentibus, desiderantibus, conatibus, laborantibus, misericordiam conferri dicat divinitus . . . & aut humilitati, aut obedientie humane subiungit gratie adiutorium . . . ressit Apostolo dicenti: (1) Quid habes, quod non accepisti? & Gratia Dei sum id, quod sum.* Hocne Concilium Molina legerat, cujus non semel in suo opere meminisset? Aut illud nihil fecerat? An enim forte latebat singularis auctoritas, quam hæcenus obtinuit in Ecclesia Romana, unde suas venerandi Patres definitiones hauserant? Quo loco notare, operæ prærium est, nullam eo in Canone meriti naturalis, aut dignæ ad gratiam, sine gratia, obtinendam dispositionis, mentionem ingeri, sed eos simpliciter anathemate peti, qui misericordiam hominibus, sine Dei gratia credentibus, conatibus, laborantibus conferri, dicerent, aut Divinæ gratiæ adiutorium (uti Molina fabulatur) humanæ obedientiæ, & humilitati subjungerent. Frustra porro, ad declinandum interminati Anathematis pondus, obruderet aliquis duplex virtutum genus; alterum earum, quæ salutis, & justificationi deserviant; illarum alterum, quæ juxta Molinam ad salutem steriles perhibentur. Sunt hæc speciosa diverticula, quibus non Pelagianos errores præscribere, sed Ecclesiæ Censuras eludere velint. Nam etsi fides, spes, caritas, contritio, ad salutem inutiles, monstri pene instar haberi possint, quo vel uno detererri Molina debuerat, quominus adulterinam adeo, & apud filios Regni reprobam, pecuniam tanti faceret; ejus etiam sectatoribus ostensuri sumus, quantum ipsi se fallant, aut alios fallere velint.

Certum quippe est in Molina systemate, primas re ipsa partes naturæ tribui, quæ uni gratiæ in speciem attribui videntur. Id enim ab eo fundamenti loco ponitur: Deum certo gratias omnes, ad justificationem, & salutem necessarias, largiri homini; ubi primum ingenitæ naturæ viribus egerit totum omne, quod ex se potest. Ex quo plane consecratur est, in liberum tandem arbitrium recidere univerfa. Næ, quæso, stiperitas Massiliensis, quibus ut damnationem effugerent, nihil ejusmodi quidquam venit in mentem? Nihil enim, quod dogmatis caput attinet, intererat, aut fidei supernaturalis initia cum Faulto nobis ascribere; aut certe, cum Molina contendere, nil quidem nos ultra fidem naturalem ex nobis posse; at supernaturalem fidem naturali illico præsto esse, ac velut indivisam, & individuum comitem hære jugiter; quæ una subtilitate, fractæ, & elise hæreses reliquias collegissent. *Novimus, hanc istorum esse versutiam, inquit Leo Magnus, (2) Episcopum Aquilejensem adversus Pelagianorum astutias muniens, ut in quacunque particula dogmatis exciperent, quam a damnandorum soliditate disceverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non saluum.*

Et verò dispungantur minutatim novæ Concordiæ principia: nemo erit, qui aperte non videat, quam facile Pelagiani, Molina suffragatore, Ecclesiæ judicium declinassent. Sic ille sua venditat: (3) *Faciens, quod in se est, Deus non denegat gratiam: Christusque nobis promeruit auxilia, non solum quæ, conatibus nobis, ex nostris naturalibus efficiere, quod in se est, præsto essent, ac prevenirent; ut sic illo eadem conatu eliceremus dispositionem supernaturalem ad gratiam, sed etiam quibus sepe excitarentur omnino. Inde est, quod, quoties quis paratus fuerit ad conandum ex timore, efficiendum*

(1) I. Cor. 4. v. 7. & c. 15. v. 10. (2) Epist. ad Ag. Epist. (3) Quæst. 14. ar. 13. disp. 14. (4) Epist. jam laudata. (5) Cui titulus: De variis circa gratiam opinionibus.

que totum, quod potest, circa detestanda peccata commissis, & cavenda in posterum omnia lehabita, præveniatur a Deo affectu, donoque timoris supernaturalis, & alicui attritionem supernaturalem, qualis cum Sacramento est necessaria, ut peccata deleantur. Hoc si verum; nihil obest, quominus homo sibi justificationem, & salutem ascribat; cum eas gratia, ingenitæ naturæ conatibus individua fortiaur.

Tot illos Molinæ exitiales errores, dum de Divina gratia sermo fuit, silentio præterire, nefas erit: cum, iis ab illo semel positæ, quidquid deum de gratuita electorum prædilectione statuerè visus est, sponte ruat. Dum hæc perversa dogmata stabunt, humanæ superbiæ locus erit: atque, ubi gratuita supernaturalium donorum preparatio posita fuerit; eadem ipsa dona, ingenitæ viribus, naturalibusque, si superbi placet, fidei, spei & caritatis virtutibus ascribentur.

Si hæc impune feramus, vix, ac ne vix quidem, Pelagianismum, ingenita hominum superbia renascentem, ac tumidum cohibere, fas erit. Cogimur igitur vel invitæ, piis Leonis Magni consiliis morem gerere, quibus Aquilejensem Episcopum hortabatur, ut in obscuros aliquos hæreses Pelagianæ fautores invigilaret, tanto difficilius a veris Christi ovibus fecerendos, quanto callidius ovina pelle obtegebantur. *Cavendum ergo, (4) magnaue diligentia providendum, ne per hujusmodi homines existant dudum scandala suscitentur; & de exciso olim dogmate aliquid in Provincia tua ejusdem mali germem oriatur; quod non solum in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ Ecclesiæ sobolem veneno sui odoris inficiat.* Eo vero movemur magis, quod nullibi prodigus ille Molinæ laudator errores ejus vel leviter adnotet, vel explodat, quamquam tales sit, ut totam Molinæ doctrinam summam inficiant.

Accedit & aliud hujusce Theſis incommodum longe gravius. Tertia scilicet Columna, (5) ubi de variis circa gratiam opinionibus agitur, sex complectitur appendices. Ultimis quinque hæreses omnes exponit, quibus Ecclesiæ Catholice doctrina de Divina gratia pulsata est: Pelagianos, Semipelagianos, Prædestinatianos, Lutheranos, Calvinistas, Janſenianos numerat ordine longo. Porro tot illis Divinæ gratiæ hostibus unam Ludovici Molinæ doctrinam ex adverso ponit, appendicæ prima, cæteris omnibus Theologorum orthodoxorum sententiis silentio alto prætermittis: quasi hujus unius doctrinam catholicis Theologis amplecti, necesse sit, si procul a damnatis hæresibus stare velint.

Certe, ubi de fidei dogmate statuendo agitur apud Theologos, id statim ponitur ordine primo, quod Ecclesiæ profiteretur, omnique retro tempore professæ sit: cum enata in oppositum hæreses recenserentur. Cum igitur una Ludovici Molinæ sententia de Divinis auxiliis, uti subortis erroribus adversa, recensita sit, perspicuum est, unum hoc Theſis hujus Auctori fuisse consilium, ut Molinæ sententiam, tanquam Ecclesiæ Catholice professionem, obruderet; cui ex officio stare necesse sit, ut recensita hæreses evitentur.

Atque id quidem eo manifestius constat, quod statim sub primæ appendicis initio scripserit, Molinam, ejusque discipulos, Divinæ gratiæ cum humana libertate concordiam, ope Scientiæ mediæ, cæteris omnibus enucleatius tradidisse. Addit, doctrinam ejus, tam valide impetitam, toties a diverſi generis hostibus impugnatam, & coram summis Pontificibus tam diligenter agitatam, tanquam

quam aurum in fornace probatam, puriorem inventam esse. Eo etiam venit audaciæ, ut facrilega violatiōne sacras Scripturæ voces usurpet, quibus inviſam Martyrum fidem commendat Ecclesiæ. Ac denum, lata veluti sententia, pronuntiat, Molinæ doctrinam, dira coram Summis Pontificibus persecutione agitatam, solidiorē, ac puriorem evasisse; dignamque etiam, quæ uti Sanctorum Patrum hereditas excipiat: *Cum honore ex tot disputationum fluctibus emerit.*

Societatis Constitutionibus sancitum est, (1) *Ut in Theologia legantur vetus, & novum Testamentum, & doctrina scholastica D. Thomæ.* Hoc ipsum (2) quinta Congregatio generalis definiit; nonnullaque quorundam disputationum de feligendis opinionibus instituta confirmavit, quorum prima ita constitutum est: „Noſtri omnino S. Thomam, ut proprium Doctorem, habeant, cumque in Scholastica Theologia sequi, teneantur; tum quia Constitutiones eum nobis commendant, & Summus Pontifex Clemens VIII. id se cupere significavit: tum quia, cum unius Scriptoris doctrinam in Societate eligendam, Constitutiones monent, nullius hoc tempore doctrina potest occurrere, quæ sit ea solidior, ut securior, ut non immerito S. Thomas Theologorum Princeps ab omnibus habeatur.“ *Quin etiam cap. 41. quintæ Congregationis cautum est, Ne deinceps ad Cathedras Theologicas promoveatur, nisi qui Sancto Thomæ bene affecti fuerint; qui vero ejusdem auctoris parum studiosi, vel etiam ab eo alieni sunt, a docendi munere repellantur.“*

Divi Thomæ principis imbutus profecto non fuit P. Gabriel Thrioux, Theſis hujus Auctor, & propugnator, uti imbutum illum fuisse oportuerat, si suas Societatis Præpositi leges executioni demandasset. At maluerunt, Saaresium ei Magistrum præfigere, cujus doctrina nil nisi Molinæ temperamentum est. Ea nobis agendi ratione Jesuitæ significant, pluriſ illos fieri recentium Scholæ suæ Theologorum auctoritatem, quam Clementis VIII. iusta, qui, pendentes Auxiliorum Congregationibus, unicum eis Magistrum esse voluit Doctorem Angelicum. Quid ergo mirari fubeat, si quo tempore Theſis illa habita fuit, nullam alterius statui prudentissimi rationem habere, quo quinta illorum Congregatio vetuit, ne quis eas Opiniones in aliqua Academia doceat, aut defendat, quæ Catholicos offendere possint? (3)

Majori Jesuitæ Rhemenses reverentia duci debærant in Societatis suæ Constitutiones, Congregationumque generalium instituta, quorum iis interdum memoriam revocavimus, dum nostrum illis de Molinæ doctrina iudicium aperuimus. Si quod Majoribus quondam suis caritatis, ac prudentiæ studium inſitum erat, illos etiamnum egisset, non usque adeo publice comprobassent, quam parvi sensa nostra, ac monita pendant. Ab eo delicto procul illos esse, & ab immodicis Molinæ suæ laudibus temperare, oportuerat, vel hoc solo titulo, quod illius sententiam inter fidei dogmata

reputare, ipsi non audeant; camque e contrario novam, ut minimum confiteri, ipſo Auctore judiciale, compellantur.

Mirari fubit, liberam opinandi licentiam usque adeo Societatem occupasse, viris quondam olim, atque etiam hodie eruditissimam abundantem: cui etiam nihil statim omiſsum, ut prudentissimis iustitias, ab ea sibi labe præcaveret. (4)

Joannes Mariana, Hispanus, e Societate celebrissimus, ea de re gravius expoſtulavit, edito Tractatu, de Erroribus in forma gubernationis Societatis Jesu. Ubi malum eo usque progressum ait, ut plures in Scholis opiniones recipi cerneret, quæ falsæ prius, atque insulse habebantur. Quam ardentiori reformandæ Societatis zelo exarisset, si detestandum peccati Philosophici errorem, impiamque adversus caritatis mandatum hæresim, publicis apud suos Theſibus defendi, ætate sua comperisset! Nulla nobis, quo minus id exproberemus, religio est; quandoquidem Theſis illæ solemnæ Alexandri VIII. Decreto (5) præscriptæ sunt. Alias silentio mittimus, in nonnullis hujusce Regni dicecesibus ante dies aliquot propagatas; quod falcem in messem alienam immittere, ac de gestis extra Jurisdictionis nostræ fines publice pronuntiare, minus liceat. Ab iis Ecclesiarum Pastoribus expectanda sententia est, quorum ovibus periculose Conclusiones scandalo fuerent. Hanc, ut libuerit, pronuntiant, pro ea, qua nobis præstant, eruditione, & singulari tutandæ fidei zelo. Nos interim, quæ poterimus, vigilantia, concedimus curæ nostræ depositum servabimus, hæc præsertim ætate temporum, quam cum adulari sibi homines velint; impatientique dissolutæ disciplina pruriginè laborent, promiscuam laxiorum Doctorum copiam amulantur, qui illorum cupiditatibus serviant. Hortabimur, obsecrabimus, increpabimus, uti nos monet Apostolus, *In doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguimus. Doctrinis variis, & peregrinis abductos, qua decet, caritate, & animi fortitudine castigabimus, ut profanas vocum novitates devitent, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* (6)

Idem ille Joannes Mariana, qui, quo tempore Auxiliorum Congregationes habebatur, prælaudatam de Societatis Regimine tractatum edidit, diligentius notat, quæ mala liberiores illam in vulgandis signentis Molinæ licentiam secuta sint. *Ex inordinato, inquit ille, (7) novitatis amore emanant illi turbines, & procelle, quibus nostra Societas tentavit exagitare Sapientissimos Dominicanæ familiæ Theologos, quos potius, ut Magistros, revereari debebat. Addit idem ille, occasione Molinæ Concordiæ, a Dominicanis certatim acriter; ac prima quidam ad generale Hispaniarum Inquisitionem: itum subinde Romanam; ubi (ut ait) quo tempore scribebat, controversia magna animorum estu tractabatur. Cujus prosperum exitum (etiam si res illis prospere cederent, quod admodum incertum erat) non nisi multis expensis, & anxia multorum annorum cura empturi essent. Subjungit, Virum aliquem perillustrem, (8) rerum illarum apprime conficiam, Societatis Præpositos monuisse, ne*

(1) Par. 4. cap. 14. (2) Unanimi omnium consensu statuit, doctrinam S. Thomæ in Theologia Scholastica, tanquam solidiorem, securiorem, magis approbatam & consentaneam nostris Constitutionibus, sequendam esse a Professoribus nostris. Cap. 41. cap. 56. (3) Quæ opiniones, cujuscunque auctoris sint, in aliqua Provincia, aut Academia, Catholicos graviter offendere sciunt, eas sibi nemo doceat aut defendat. Ubi enim nec fidei doctrina, nec morum integritas in discrimen adducitur, prudens caritas exigit, ut nostris se illis accommodent, cum quibus versantur. Cap. 1. (4) Idem sapiamus, idem, quoad ejus fieri possit, dicamus omnes juxta Apostolum: doctrinæ igitur differentes non admittantur. Part. 3. Constit. c. 1. Cap. 6. Divione anno 1686. mensi Junio. Massipont anno 1689. 14. Januarii. (5) Die 24. Augusti. 1690. (6) Ad Tit. cap. 1. v. 9. Ad Hebræos c. 12. l. ad Tim. m. cap. 6. Cap. 4. (7) Laudat illusterrimus Archiepiscopus Marianæ verba, juxta pervertit, & accuratam versionem Gallicam, ipſi Autographo coram. (8) Videtur loqui de Cardinali Baronio, qui in sua ad Archiepiscopum Viennensem Epistola scribit, Jesuitas a se monitos, ne defendendo Molinæ librum, suæ ipsorum fame officerent.

se hinc alius impicarent, nihil tamen obtinuisse; Tum quod ad licentiam ducendam proprii honoris stimulo duceretur Praepositus generalis, ob datam Molinae typorum veniam; minusque rei gravitatem praesentirent juniores nonnulli Hispaniae Professores: (1) tum quod qui Generali Romae assistebat, quique Hispaniae Provincialium obibat (quorum artibus omnia haec motuebantur) viri essent profus illiterati, qui publica Societatis munia, hominum ejusdem moris, & indolis gratia, obtinuerant. Qua in re id tandem eventurum ait, quod evenire necessum erit, quoties ardua Societatis negotia viris turbulentis, & ignavis Praepositis committentur. Ita Mariana eo in libro, quem publice luci praeripere, tantopere conati sunt; quemque nos in fidei argumentum, Gallicae, & Hispanice redditum, in Bibliotheca nostra servamus. Sic demum Auctor ille tractatum absolvit: Mul- tam mihi fiduciam sumpsi, in detegendis Societatis malis, & publici Regiminis erroribus; hisque potissimum, quae cum communiter approbentur, libentius fiunt. At quid ergo? Candide loquor, & sine furo, ac spe quacumque: Rem quisque, ut libuerit, aestimabit. Verum, quod in me est, quo propius, ingravescente aetate, ad extremum iudicium accedo, eo certius assevero, Societatem nostram, quae ex Deo dubio procul est, in praecipis ruere, ac brevi etiam casuram omnino, nisi Deus ipse det opem; ejusque filii, pro sua in Matrem pietate, omnique privati commodi studio seposito, praesens auxilium adferant, & ad vivas usque partes circumcidant, si ita est opus, ne ultra pestis incedat. Perpendite jam, per me licet, Mariana verba, & infamata praesagia. Duo tantum inde colligimus. Primum, isto ineunte seculo, virum, de Societate ipsa bene meritum, de liberiori sociorum opinandi licentia durius expositum esse: Alterum, minus alte de Molina sentisse illum, quam hodie soleant in Societate sentire.

Unum superest, quod in Molina, tantis ea in Thesi laudibus imprudenter commendato, observari debeat, minor scilicet in Sanctos Patres, & antiqua Concilia veneratio, contemptus, despiciatio. Hunc si audimus, minus illis, circa Divinae gratiae quaestiones, lucis affulit. Patres antiquos, ait audacior Aristarchus, (2) antiquaque Concilia legenti perspicuum erit, parum admodum lucis fuisse circa ea, quae ad gratiam spectant. Atrocem Traditioni sacrae, unde doctrinae depositum ad nos usque transmissum est, & audacem injuriam! Videri equidem prima fronte potest, superiora dumtaxat Pelagio tempora notare: verum, ut ille Araucanæ Synodi secundae mentionem ingerit, nullaque ante Pelagium circa Dei gratiam Concilia celebrata sunt; perspicuum est, nedum superiora Pelagio tempora, Molina quidem iudice, minus Divinae gratiae doctrinam internovisse; sed & ipsas etiam post Pelagium Synodos habitas, non satis in hisce quaestionibus luminis attulisse. Conciliis igitur Africanis, & Araucanæ, nec non tot summorum Pontificum definitionibus injuriam irrogat, quasi minus feliciter Divinae gratiae veritates attigerint. Audacem nimium incertiam, ac severiori censura dignam!

Iis de causis, alisque gravissimis bene multis, invocato Dei nomine, re maturius expensa, auditis Sacrae Theologiae Doctores eruditissimis, sapientissimis, & in Episcopali dignitate constitu-

tis, damnavimus, atque damnas primam Positionem tertiae Columnae, Thesi habita die 5. Decembris ultimo elapsi, quam & hic supra retulimus, uti falsam, temerariam, scandalosam, captiosam, & inducentem in errorem.

Altera quae die 17. Decembris habita fuit, nec minus fallit, nec minus, si penitus attenditur, censuram meretur. Equidem primo quinta Columnae intuitu, suspicari pronum est, voluisse Thesi hujus Auctores, Augustino, & Ecclesiae, pro laeso ante dies aliquot honore, satisfacere. Ut enim praesentent, nos una cum probati nominis Theologis indigne laturos, quod unam Molinae sententiam, Augustino adeo injuriam, ostentassent, uti haereticorum circa Divinam gratiam erroribus repugnantem, sibi utcumque praecaverunt. De Sanctissimi Doctore aliquanto reverentius loquendum existimantur. In exponenda Praedestinatione, inquit, (3) Augustinum sequimur. Ac demum Augustini partes in speciem saltem emulati, totum (addunt) Augustiniani sumus. Bene id quidem: verum ut totus quis Augustinianus haberi possit, minus est, Augustini sententiam amplecti, nisi docendi quoque modum emuletur. Si quid enim, ut falsi dogma, posuit Augustinus, nec ab Augustiniano tacendum illud, nec negandum. Videndum igitur, num hac parte Jesuitae Rhenensis Lugduanensis (4) religiosiores extiterint: collatisque Thesi secundae principis, perpendendum, quo demum spectet ea in speciem veneratio, qua Divinae gratiae Doctorem exceperunt.

Antequam speciosa illa commendatione salutareretur Augustinus, id caute praemisum ab illis est, scientiam mediam Gratuae praedestinationi explicanda unice deservire: quasi misso Molinae systemate, explicari nullatenus posset. Proh superi, quae praestigia! Quid igitur, Augustiniana doctrina commendatio a Moliniana pendebit? atque haec quidem tot Apostolicae Sedis Oculis probata sententia, recentis novatoris opinionationi, a melioris notae Theologis confutata, ab ipsis Societatis Scripseribus explosa, Pontificibus (ne quid interim, dum solemne iudicium expectatur, durius proferamus) ignota, ab ipso sui ortu suspecta, vespertigalis habenda erit? Recentis Auctoris fomina mutuari, necesse erit, ut Praedestinationis mysterium exponamus; eaque nobis dumtaxat conditione Augustiniana licebit esse, modo Moliniana fuerit Augustinus? Absit, ut ista ferantur.

Verum, qua tandem festivitate, ut ceteris illuderet, Thesi Auctor commentus est, (5) Augustinum scientiam mediam luculenter approbasse, & ad gratiam Dei electionem demonstrandam, ea, tanquam in viculo argumento, usum esse? Itane, dum haec Columna secunda scriberet, quid tertia scripturus esset, advertebat? Ibi quippe distincte testatur, nullam alteram Praedestinationis causam Augustino probatam esse, ultra Divinam voluntatem. Rogandus ergo, ut secum ipse sentiat. An eum forte fugiebat, (6) Moliniam scientiam mediae inventum, ante dies aliquot ab sodali suo adeo magnifice commendatum, alteri nemini concessisse? Hoc ille longe minus concessit Augustino, quem illius ignorantia, in eo argumenti genere, caecutiisse, omniaque turbasse, commentus est. Si haec, inquit, explicata fuisset, neque Pelagiana haeresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare: neque ex Augustini opinione, concertationibus-

que cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque descissent; facileque reliquie ille Pelagianorum in Gallia fuissent extincte. Quam dolendum heu! Molinam, Pelagianam Secta temporibus, Augustini loco non deceatasse; aut Lutheranos, Molinae aetate nuper enatos, victicibus recentis Athletae armis non concessisse! Quis non recentis Theologi inauditam audaciam indigne ferat? Cui si demus aures, suis jam titulis spoliandus est Augustinus, nec jam Ecclesiae defensorum praestantissimus, haeresisque Triumphator habendus erit. (1)

Iis Augustinum titulis universa commendat Antiquitas: his eum omnibus celebrant, quotquot Ecclesiae partes tuerentur, ac diligunt. Addunt & alia Romani Pontifices, qui celebratas ab D. Prospero (2) Sanctissimi Doctores laudes amplioribus cumulaverunt. Quin & hac nostra aetate, Cardinalis Perronius (3) Augustinum appellat, Maximum post Apostolos Praedestinationis Doctorem, immo os, ac vocem veteris Ecclesiae, quantum ad illam pertinet de Divina gratia doctrinam.

Si ut obtendit, Augustinus re vera foret Frater Franciscus Baltus, hujusmodi Thesi Auctor, & vindex, non ita profecto exiliter, & jejune de Sanctissimi Doctore sententia pronuntiasset. Nihil, inquit, (4) in doctrina Augustini certius, quam Praedestinationem esse omnino gratuitam: modo tamen, ut praemonet, Moliniano sensu exponatur. At inquit vel leviter, Augustini sententiam eo saltem in capite Ecclesiae Catholicae doctrinam esse; atque a Summis Pontificibus distincte probatam? Solane errantium opinioniones e regione ponit, quemadmodum in altera Thesi, in Moliniana dogmatis commendationem, factitatum est? Multum certe abest, ut id agat; fatique S. Augustini honori consultum, putat, si se Augustinianum obtendat, data tamen ceteris omnibus fidei licentia. In explicanda, inquit, Praedestinatione Augustinum sequimur, ab utrisque Seipelagianis, & Praedestinationis aequo remouum. Ne verbum quidem tota Thesi occurrat, quo vel leviter innuat, nefas esse, sentire aliter: atque id tamen innuere, palamque significare, opus erat; ut totus re ipsa Augustinianus haberetur, & Ecclesiae Romanae sensum exprimeret, ut Hormisdas Pontifex declaravit, (5) totaque nos praesentis Institutionis Pastoralis serie demonstrabimus.

Qua in re, id statim consilii nobis fuit, ea omnia seponere, quae, salvo fidei capite, in Scholis Catholicis disputantur; & intra Praedestinationis gratuita fines unice concludi. Atque hoc ipsum dogma est, quod ab Augustino traditum diximus, uti communem Ecclesiae Catholicae sensum, ex Scripturis, & veterum traditione petiturum, & a fidelibus universis summa veneratione, & confessione susceptum. (6)

Id ut ordine ituramus, ponenda in primis venit, Augustinum duce, Praedestinationis definitio, ab universa Ecclesia summo consensu probata. Nihil aliud est illa, inquit Sanctissimus Doctor, nisi praesentia, & praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.

Deus ergo certis quibusdam hominibus, quos Electos idcirco Scriptura vocat, singularia beneficia destinavit, quibus a peccato, & aeterna damnatione certissime liberantur. Jam si certissime; his igitur auxiliis liberantur, quae indeficientia

sunt, & ad exitum infallibiliter, ut ajunt, ac certo perducant. Haec si Deus praesertit omnibus, nemo non certo liberaretur: at bona dumtaxat voluntate paravit iis, qui illa susceperunt. Quia pro illis facturus esset in tempore, ab aeterno novit; idque ipsum praeparavit atque praedestinavit. Nullis moveri meritis potuit, (7) ut certa illa auxilia praepararet, e quibus omnia nascuntur merita. Non quae primo conferuntur gratia, electos coronat; cum quotquot ea donantur, non idcirco salventur. Non itaque prima dumtaxat gratia, gratuito praeparata, ac praedestinata, aeternam electorum salutem certissimam facit; sed ipsa potissime gratiarum, beneficiorumque peculiarium series, quae illi a Domino praeparatur. Horum nemo perit, quibus illa parata sunt. Adversus hanc praedestinationem, si credimus Augustino, digno Ecclesiae Interpreti, nemo unquam sine errore disputavit. Hoc scio, inquit ille, (8) neminem contra istam Praedestinationem, quam secundum Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando, disputare potuisse. Haec contra Divinae gratiae hostes, inquit Doctor egregius, propugnamus, non privatis praedictis occupati, sed Sacris litteris eruditi; nec vocari in controversiam ullatenus possunt, nisi vel beneficia, quibus certissime liberantur electi, negentur omnino, vel minus a Deo praevia dicantur, ac praeparata: quae duo fidei summam perinde laderent.

Hanc S. Augustini doctrinam explicatissime definiit Adrianus Pontifex, hujus nominis primus, dum inquit: (9) Opera Misericordiae, ac justitiae suae praeparavit Deus, in aeternitate incommutabilitatis suae; sicut futurorum operum suorum nunquam fuit ignarus, sic in eorum operum praeparatione nunquam improvidus. Praeparavit ergo justificandis hominibus merita, praeparavit eisdem glorificandis & praemia; Malis vero non praeparavit voluntates malas, aut opera mala, sed praeparavit eis iusta, & aeterna supplicia. Haec est aeterna praedestinatio futurorum operum Dei, quam, sicut nobis Apostolica doctrina semper insinuari, cognoscimus, sic etiam fideliter predicamus. Teneatur ergo Praedestinatio veritas a fidelibus cunctis; quia quisquis Divinum non credit in hac Praedestinatione consilium, non pervenit ad gloriosum hujus praedestinationis effectum.

Quisquis Sanctissimi Doctores libros de Praedestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiae vel obiter legerit, (ne quid de ceteris, adversus Pelagianos editis, dicamus hic) facile comprobabit, nihil illum hoc in argumento, nisi Sacrarum Scripturarum fidem, & universalem Ecclesiae sensum retulisse. Nihil aequo Catholicorum fidem in aperto ponit, quam publica oratione, ab iis fundi solita. Quid porro omni retro tempore, & ubique, ardentius publicis supplicationibus efflagitavit Ecclesia, quam pro fidelibus perseverantiam, pro infidelibus fidem? Cum alias certo constat, iis maxime donis impleri modo, quae Deus electis suis ex aeternitate destinavit. Perspicua, ac decretoria Augustini verba sunt. (10) Ille itaque dicat, Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem praedestinationis hujus, & gratiae, quae nunc contra novos haereticos cura diligentiore defenditur. Ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audeat, eam aliquando non orasse, vel non veraciter orasse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles.

(1) Illius ergo inter cunctos, qui de grege Sancto Infans pepalere feras, industria major, majus opus, totum praestantibus imbuit orbem. (2) S. Prosper Carm. de Ingr. (3) In Resp. ad Magnae Britan. Reg. c. 12. (4) Post. 5. col. 3. (5) De arbitrio tamen libero, & gratia Dei quid Romana, hoc est Catholica, sequatur, & alieveret Ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, & maxime ad Hilarium, & Prosperum, possit cognosci &c. (6) Epist. 70. Hormisdæ Tom. 4. Concil. gen. pag. 1332. Lib. de dono Perf. c. 14. n. 35. (7) Si gratia; jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Ad Rom. 11. 6. (8) De dono Persever. cap. 19. (9) Epist. 95. ad Egilam; & 97. ad Episcopos Hispante. (10) De dono Persever. cap. 23.

(1) In Hispania scribebat Mariana, nimirum Toleti, ubi diem supremum obiit 17. Februarii 1624. nonaginta annos natus. (2) Quae. 14. art. 13. disput. 15. (3) Post. 5. col. 3. (4) In 15. Positione suarum Thesium 22. Aug. 1696. defensionum. Post. 15. col. 2. (5) Ibidem. (6) Post. 5. col. 3.

Ades. Si ergo eas hactenus gratias a Deo postulavit Ecclesia, eas ab illo uno donari, certo credidit. Nemini negare fas fuit unquam, (nisi omnem religionis, rectique iudicii sensum exuere vellet) ea Deum ex aeternitate novisse bona, quae suis deinceps electis collaturus esset. Quae bona, profertur Sanctissimus Pater, (1) si semper oravit, Dei dona esse, utique credidit, nec ab illo esse praecognita, unquam negare fas fuit. Quibus demum statutus, ac positus, colligit in hac verba: *Ac per hoc praedestinationis huius fidem, quae contra novos haereticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit.*

Perpendantur Augustiniana doctrinae principia, perspicua erit, neminem ab iis, nisi delerta Scriptura & Traditione, recedere posse. Fidei dogma est, primam, & ultimam gratiam, initium fidei, & finalem perseverantiam a Deo esse. (2) Fidem prioribus operibus mereri, nullatenus possumus: preces vero, uti & opera bona, quibus perseverantiam obtinemus, ac etiam, ut loquitur Augustinus, (3) emeremur, non nisi gratia gratuita partus haberi possunt, quam Deus, quibus voluerit donat; istaque certissime donat, qui perseverant, nullo nobis relicto querendi iure. Si ergo perseverantiam solus ille perseverantibus donat, solus ille singulari bonitate largitur; quid ni cum Apostolo hac praesertim occasione dicamus? *Si gratia, iam non est gratia.*

Nulla futurorum operum habita ratione, certa nobis beneficia destinavit, quibus ea in finem usque faceremus: nullaque idcirco bonorum operum ratio fuit, ut ad aeternam, de qua loquitur Augustinus, liberationem eligeremur; quandoquidem non nisi indebita gratiae partus haberi possunt, quorum in finem usque eduntur bona, ut aperte nos docet Apostolus: (4) *Nos liberavit, & vocavit vocatione sua Sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propitium suum, & gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora saecularia.*

Hoc sensu aeternae Praedestinationis Mysterium exponant, necesse est, quisquis procul ab haereticorum erroribus esse velit: ne vel cum Calvinianis, fidelium merita, tuendae gratuita Praedestinationis studio, perimat; vel gratuitam Praedestinationem cum Pelagianis, tuendis humanis meritis nimis intentus, inficietur. Ab utroque ex aequo distat Ecclesia Catholica: totumque Deo, a quo totum accipimus, referendum docet, ne quis sibi de suis meritis blandiatur. Christianam humilitatem Pelagianis perimunt, excitandae vigilantiae obtentum; vigilantiam e contra, omnemque virtutem eliminant Calviniani, semotis piis libertatis humanae meritis. Medius incedit Augustinus; notque ex aequo & intentus officio, & susceptorum beneficiorum memores esse, monet. Tamen enim ex mera misericordia electi vocentur, (5) ex iustitia nihilofcius coronabuntur; nullaque salvabitur Electorum, nisi certam bonis operibus vocationem, & electionem sibi fecerit. (6) Tantum vero adest, ut idcirco aeternae vocationis gratia minus debeant; quin potius illa ipsa officiorum integra solutio novae gratiae genus est, cui digna grati animi significatione respondere satis nequeant. Sua illi voluntate bene illi sunt; at parata est illis, ut idcirco aeternae vocationis gratia non minus debeant; quin potius illa ipsa officiorum integra solutio novae gratiae genus est, cui digna grati animi significatione

(1) Ibid. c. 19. (2) Concil. Trid. sess. 6. c. 8. (3) Lib. de dono Persev. c. 6. (4) Ad Tim. cap. 1. (5) Concil. Trid. sess. 6. c. 16. (6) Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciat. 2. Pet. 1. cap. 10. (7) Ad Rom. 6. (8) Ad Eph. 2. (9) Lib. de dono Persev. c. 23. (10) Lib. cont. Collat.

respondere satis nequeant. Sua illi voluntate bene illi sunt; at parata est illis, ut Scriptura loquitur, voluntas a Domino. Opera bona, dignoque poenitentiae fructus ediderunt; at secundum Apostolum, *In Christo Jesu in operibus bonis creati sunt, quae preparavit Deus, ut in illis ambularent.* Sic igitur adulti gratis perinde eliguntur ad gloriam, gratuita dumtaxat gratia promerantur, ac ipsi post Sacram fontem erepti pueri, quos intuitu meritorum praedestinos nemo dixerit, nisi qui Semipelagianus haberi velit. Omnino ergo, secundum Ecclesiam, & Augustini doctrinam, Sanctorum Praedestinatio gratuita est: vitaque aeterna, quam, partis Christi gratia meritis dumtaxat spectatis, Coronam iustitiae vocatam legitimus, mera re ipsa gratia, nullis nostris meritis ex aeternitate preparata dicenda est. *Hinc gratiam Dei vitam aeternam vocat Apostolus; (7) Nosque gratia per fidem salvatos, ait, (8) Idque non ex nobis, sed dono Dei; ut ne quis gloriatur, solaque libertatis supererit misericordia liberantis.* Perpetua est illa, atque imperturbata Ecclesiae Catholicae fides, de qua tam vere, quam pie scripsit Augustinus, (9) *Sicut in his orationibus, ita in hac fide nata est, & crevit, & crevit Ecclesia.*

Nemo ergo nobis obrudat, quod & a nonnullis ignavis, audacibusque nebulionibus dictum, scimus, gratuitam Praedestinationem, non nisi privatam Augustini opinionem esse; eumque, ubi ejus agitur causa, minus audiendum, dum suam nobis opinionem, velut Ecclesiae fidem, ostentat. Aliud nobis eximia illius humilitas spondet, certamque nobis fidem facit, uni eum veritati stituisse. Verum si minus ejus probationibus datur; stet penes Pontifices fides integra, quos & eminentia Sedis, & eruditio singularis Ecclesiae universae spectabiles fecit. Penes omnium gentium, & aetatum eruditos esto iudicium, quos eximia virtutum merita caelo dedere: istaque demum reclamantibus, neget, qui id audeat, Augustini de Praedestinatione sententiam firmam Ecclesiae Romanae doctrinam esse.

Innocentius I. Zozimus, Bonifacius I. Sanctissimi viri doctrinam, quo etiam tempore viveret, approbarunt; eamque secuti Pontifices, uti traditam sibi haereditatem, exceperunt. Astipulantur Leo Magnus, & Coelestinus, quorum alter Augustini doctrinam, nulla unquam sinistra suspicione notatam, pronuntiat. Hoc ille elogio minus dignus esset, nec eo illum celebrasset Coelestinus, si privatas opinioniones, uti fidei veritates, omni retro tempore ab Ecclesia susceptas, vendidisset. Tota haec Augustini laudes Epistola spirat; quae cum, agnita causa, ad Galliarum Episcopos data sit, ut illos in nonnullos Novatores, gratiae defensori obloqui solitos, concitaret; nemini mirari subit, si Sacra ejus documenta tenacius amplectimur, ejusque vobis verba damus, tamen longe notissima. *Augustinum, sanctae recordationis virum, pro vita sua, atque meritis, in nostra communiōe semper habuimus. Nec unquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit; quem tante scientiae olim fuisse, meminimus, ut inter Magistros optimos etiam ante a meos Praedecessores haberetur. Bene ergo de eo omnes in communis senserunt; utpote qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori.*

Hoc uno eleganti elogio universis Augustini obrectatoribus occlusum os, existimavit Profer Aquitanicus: (10) *Per hunc virum, ait ille, de Coelestino sermonem habens, intra Gallias istis ipsis*

ipsis, qui S. Memoriae Augustini scripta repraesentant, malevolentia est adempta libertas.

Sixtus III. in Sacram Petri Sedem, quam, vocato ad superos Coelestino, occupavit, decessoris sui doctrinam intulit, ab ipso gratiae Doctore traditam, & ad Ecclesiam Romanam, continuata Majorum serie, una cum Apostoli ad Romanos Epistola, derivatam. (1)

Eandem illam Gelasius I. Hormisdas, Felix IV. cujus sunt secunda Araucanae Synodi Canonēs, Bonifacius II. & Joannes II. approbarunt, quorum ad marginem testimonia indigitare, fat est. (2)

Hormisdas Romani Pontificis definitio neminem fugit. Neque disiteri quisquam potest, eum in sua ad Possessorem Epistola, ex Apostolicae Sedis auctoritate, pronuntiasse; quem Episcopo respondisse constat, a quo, uti Summum Ecclesiae caput, consulebatur. Ex hac igitur supremi Ecclesiae Hierarchae Cathedra, cujus iudicium querebatur, respondit Sanctissimus Pontifex, ut quod alias de Leone Magno, (3) de Hormisdas quoque pronuntiarit, hoc loco possit: *Petrum per Hormisdas locutum esse. Ab annis ferme mille ducentis, in universa Ecclesia Pontificum illud Rescriptum exceptum est; quo Augustini doctrina, ultimis praesertim libris distinctius, & luculentius expressa, sacro velut oraculo consecratur. De libera arbitrio, & gratia Dei, quid Romana, hoc est Catholica, sequatur, & asseveret Ecclesia, in variis locis Beati Augustini, & maxime ad Hilarium, & Prosperum, (4) cognosci potest.*

Et quisquam jam dubitabit, Ecclesiam Augustini doctrinam fecisse suam? Non certe dubitabat Bellarminus, & Societate Cardinalis. (5) Oportandumque, ut Thesis hujus Auctor & vindex, eximii viri iudicium, ex quo Societati tantum gloriae, & honoris accessit, Molinianis novitatibus, quae illi utique adeo dedecori sunt, praetulisset. Haec Augustini sententia, ait ille, non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiae Catholicae dici debet. Est hoc vero Sanctorum Patrum, & celebriorum Doctorum iudicium constantissimum; Proferi, Petri diaconi, Fulgentii, aliorumque bene plurium, quorum suffragia producit meritis Cardinalis, (6) totiusque Ecclesiae fidei Traditio.

In ea quodammodo sententia Jesuitarum Societas nata est. Salmeronius, (7) S. Ignatii Socius, & elapsi saeculi Theologus praestantissimus, suam his verbis aperuit: *Tertius erat modus dicendi, quod a praevisione meritorum penderet Praedestinatio; qui quidem falsus est, & ut Pelagianum dogma, ab Augustino confutatus; & ut dogma Calvinii confutandum; qui Deum malorum causam esse praedicat.*

Dionysius Petavius, (8) cujus paulo ante suffragium usurpavimus, scribit, Augustinum tot inter Ecclesiae latinae Patres, quorum in Divinae gratiae quaestionibus summa auctoritas est, primum, ex Theologorum omnium consensu, locum obtinuisse. Quin & addit, *Omnes deinceps Doctores, & Patres, tum vero Ecclesiae Romanae Praesules, Praesulomque Convventus, illius de Divina gratia*

Serry Tom. II.

(1) In Epist. ad Xistum, quae est 194. inter Aug. (2) Tom. 4. Concil. Gen. p. 1265. Ibidem p. 1666. Ibidem p. 1688. Ibidem p. 1751. (3) Vocis B. Petri omnibus constitutus interpret. Tom. 4. Conc. gen. p. 833. (4) Ep. 70. (5) Itaque Sedes Apostolica non tantum semel, sed etiam secundo, & tertio, adversus Pelagianorum reliquias, pro defensoribus gratiae, & praedestinationis, sententiam tulit, ut jam haec sententia non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiae Catholicae dici debeat. Bellarminus Tom. 4. Editionis Paris. 1613. Lib. ceteri postea secuti sunt, ad fidem Catholicam hanc sententiam pertinere tradunt, & contrariam ad Pelagianos rejiciunt. Ibidem p. 478. (6) Lib. 3. disp. in Ep. Pauli ad Rom. disp. 21. tom. 15. (7) Contrarium ad Pelagianos c. 6. (8) In suo Brevis dato 23. Febr. 1677. quo jubet solum S. Augustini per totam Hispaniam celebrari. (10) In Brevibus, ad Belgarum Episcopos, & ad Facultatem Theologicam Lovanicensem, datis 6. Febr. 1694. & 24. Nov. 1696. (11) Fessit. 5. col. 3. (12) Ibidem.

sententiam ita ratam, & catholicam judicasse, ut hoc satis magnum putarint veritatis argumentum, quod ab Augustino positum, & decretum esse, constaret.

Nec vero quis nobis obrudat, extremos Ecclesiae Romanae Pontifices suos hac parte Decessores deseruisse. Figmentum est illud quorumdam nostrorum temporum Protestantium, ut Apostolicam Sedem novitatis incusarent. Clemens VIII. Alexander VII. Clemens X. Innocentius XI. (9) Innocentius XII. (10) qui pari nunc integritate, ac potestate Ecclesiam regit, fideles aetate nostra ad Augustini libros misere, ut Ecclesiae Romanae doctrinam, quod gratiae quaestiones attinet, discerent. Minus igitur est, Praedestinationem in doctrina Augustini omnino gratuitam appellasse; addendum hoc quoque, cum Romanis Pontificibus, ac celeberrimis Catholicorum Scholis, hanc ipsam esse Ecclesiae sententiam.

Qui etiam hic sumitur de industria, propugnandae gratuita Praedestinationis modus, nescio quid affectationis prodit: *Nihil certius, inquit, (11) in doctrina Augustini; & nos id ipsum affirmamus. Nihil eo de dogmate certius; at ubi? Num in omnibus Scholis? Num in Ecclesia? Nihil ea de re, nihil. Itane vero, ubi fidei dogma ponitur, in Ecclesia susceptum, & Theologorum opinionibus minime permittum, itane, inquam, jejune, & exiliter? Sicine, occasione Moliniani dogmatis, factum in altera Thesi? ubi solis ex adverso positus haereticorum sententias, magnificis adeo verbis Molinianus exponitur.*

Quod in quinta tertiae Columnae positione legitur, tamen Augustino, cujus, in statuendo decretorum ordine, sententia ponitur, honorificum videri utcumque possit, non nisi tamen studiosa dexteritate dictum est, uti sanctissimi viri doctrina inter liberae Theologorum opiniones reponatur. (12) *An ad gratiam prius, aut ad gloriam Deus electos praedestinaverit; hanc quaestionem non attingit S. Doctor: ejus tamen doctrinae magis consentaneum est, ut gloria prius decreta dicatur: & hic quoque toti Augustiniani sumus. Quam grata nobis, quam jucunda hac illa tandem Jesuitarum vox: toti Augustiniani sumus. Monendi tamen, ne varia promiscue dogmata misceant, neve opinionem, Scholarum arbitrio datam, quis scilicet Divinorum decretorum ordo, cum constanti gratuita Praedestinationis doctrina confundant. Procul est illa a prudentibus Theologis aberratio. At gravis suspicio subest, ne, qui se in statuendo decretorum ordine, & gratuita Praedestinatione constituenda, rotos fe perinde Augustinianos vocant, parem faciant utriusque negandi dogmatis libertatem.*

Meminerint itaque, altum ab Ecclesia inter utramque quaestionem discrimen poni. Nihil adhuc pronuntiatum ab ea legitimus de Divinorum decretorum ordine, quem ea Thesis, uti Augustiniana doctrinae consecrarium, ponit, de quo disputare sit liberum. At gratuitam praedestinationem solemniter definit, velut ex Scripturis, ac veterum traditione petitam; & ab Augustino adversus Pelagianos aperte, & invictissime propugnata.

Z z

Hu

Hujus Ecclesie doctrina ignorantie amplior Lestio datus est campus, in quo Molinam, & Augustinum alteris veluti vicibus ludit. In Disputatione Apologetica de gratia efficaci, (1) statim ab initio ponit gratiam electorum predestinationem; ac jactis Molinæ principis. Cum tractatu sequenti de Predestinatione, & reprobatione Angelorum, & hominum, (2) oppositam viam inquit: nullam predestinationem gratiam agnoscat: Molinam Solaem suam, hæcenus a se defensam, deserit: tantumque abest, ut conditionatam præscientiam, exponendo Predestinationis Mytherio commodam dicat; quia potius nihil ex ea solatii peti posse, confidenter pronuntiat, in ipsa Tractatus Prelatione. (3) Tum subinde, toto passim Opere, in sententiam Molinianam, quæ gratiam predestinationem Scientiæ-medie fundamentis superstruit, ea ipsa incommoda regerit, quibus Molina ipse gratiam ex se efficacem, & predestinationem, prævia quæque merita anteverterem, oppugnaverat. (4) Quin etiam graviora obicit: Moliniana decreta nullatenus meliora vocat: Auctam, non sublatam scientia conditionali difficultatem dicit: (5) atque etiam, quod mirandum magis, neminem esse contendit, (6) Qui non mallet, voluntatem suam predestinari, & necessario impelli ad opus malum, quam oculis modis ita gubernari, ut libere faciat, quia illo modo plus habere exultationis. Sic sane, tibi datus, audaciam hominum animus, omni doctrinæ vento jactatur! Verum, etsi Augustini doctrinam Molinianæ hoc saltem loco anteponat Lestus; ejus nihilominus partes illico deserit: tantumque abest, ut gratiam predestinationem, a Sanctissimo Doctore positam, amplectatur; quin potius ad injiciendam desperationem inventam effudit.

Ut ergo Semipelagianorum in Augustini, & Ecclesie doctrinam odiosa probra, tritaque criminaciones refricet, Lestio placuit, eadem illi responsa demus, quibus ingratos, & superbissimos gratia inimicos toties exagitavit Sanctissimus doctor. (7) An timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo; non autem desperet, si eam in se ipso superbissimus, & infelicissimus poneret? Maledictus omnis, qui spem habet in homine: Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine, quia beati omnes, qui confidunt in eum.

Sic certe spes hominum erigit Augustinus, eoque adversus nimiam de semetipsis fiduciam munit. Nec modo sua nos doctrina (8) in barathrum desperationis non agit, ut audacibus, & ignavis nonnullis visum est; quin & nos eo certius constanti, firmaque spe in cælum erigit, quo firmius totam in Deo fiduciam, nullam in nobis ponendam, decernit. (9) Assit autem vobis, ino desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubimini, non in vobis.

His documentis imbuendi fidelium animi, ut, solida pietatis fundamento posito, nec vana de suis viribus fiducia extollantur, nec iniqua de Divina misericordia diffidentia solvantur. In hac sententia stare firmiter; nec vanis Molinæ, Lestii, Armianorum, licentiorumque hominum terroribus moveantur, quibus gratiam electionem hac nostra ætate imperere, moluntur; uti vanas olim Pelagianorum declamationes sprevit Ecclesia, quibus obicere sophismatum face, Divina gratiæ vindicis auctoritatem, ac fidem imminuere, nitentur.

[1] Ed. Lug. an. 1651. p. 423. [2] Ibid. pag. 514. [3] Alii consueverunt ad prædium præscientiæ conditionatæ, sed etiam ex hac parvam, vel nihil apparet solatii. pag. 512. [4] p. 552. (5) Non tollitur per præscientiam conditionatam, sed potius augetur, quia submittitur modum occidit exsequendi, & dissimulat impediendi, ne quis non electus in numerum salvandorum iacet. Ibidem. (6) Ibid. pag. 535. & 536. (7) Lib. de dono persever. c. 22. (8) Lestius p. 530. (9) Lib. de dono persever. cap. 22. (10) Lib. de dono persever. cap. 14. (11) Ibidem.

Abist nihilominus, ut Molinæ, ejusque Sectaribus Semipelagianismum tribuamus. Hoc saltem estimare par est, illos, pro sua in Ecclesiam obelientia, nefarias Moliniani systematis consecutiones distiteri: statundumque omnino, illos, si forte in errore versantur, a pertinacia tamen, atque ita ab hæresi procul esse. Cum etiam Apostolica Sedes sui duntaxat juris esse voluit, de celeberrima auxiliorum disputatione, inter Predicatorum Ordinem, & nonnullos Societatis Theologos, hujus initio sæculi, agitata, pronuntiare; judicium, a Summis Pontificibus in suspensio positum, expectare, necesse est. Interea per nos minime stabit, quominus Theologi Societatis, in hac nostra Diocesi constituti, Molinianas Divinæ gratiæ, & liberi arbitrii conciliationes pro viribus tueantur; sic tamen, ut nec scientiam-mediam, velut unicum orthodoxum explicandæ Predestinationis modum, effutiant; nec gratiam predestinationem, ab Augustino secundum Scripturas prædicatam, & omni retro tempore ab Ecclesia susceptam, uti doctrinam opinionem liberam, ponant. His duntaxat conditionibus, licitam eis facimus Scientiæ-medie defensionem adversus eruditum Doctorem Angelici Scholam, quam, posthabita Sanctissimi Inhibitoris voluntate, contemptisque generalium Societatis Congregationum statutis, deserere. Verum non ultra Scientiæ-medie usum Augustino tribuant, ipso etiam Molina repugante, Sanctissimoque Doctore prorsus invito, qui hanc eo ipso in libro funditus evertit, quem in ejus defensionem adducit Auctor secunde Thesii, Agnovit equidem Doctor Sanctissimus, (10) Habere quosdam in ipso ingonio Divinum naturaliter munus intelligentie, quo moventur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa percipiunt. At quid iis Augustini verbis, & Scientiæ-medie? Quid ergo? An forte Augustini sensum esse, putat hujus Thesii propugnator, verba, ac etiam miracula ad conversionem hominis satis esse, modo nativis cogitationibus congruant! Purus hic, putusque Pelagianus est error, quem Divini vindicæ nullus affingeret. Quovis igitur sensu sumatur Divinum illud naturaliter munus, eo denum deveniendum est, quod de Tyrinis, ac Sidonius ibidem addit. (11) Nec illis profuit, quod poterant credere, quia predestinationi non erant ab eo, cujus insensibilis sunt iudicia, & investigabiles viæ: nec istis (Corozaitis scilicet, ac Bethsaitis) obfuisse, quod non poterant credere, si ita predestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum veller auferret. Huc ergo referenda venit electionis gratia, non in naturale intelligentiæ munus ejus, ejusque cum externis occasionibus cognationem; a Deo scientiæ cujusdam mediæ lumine cognitam: immo vero in secretam Divinæ voluntatis ordinationem, Omnipotentissimamque, ut loquitur Augustinus, inclinandum, transferendum, quando voluerit, & ubi voluerit, potestatem.

Tota illuc collimat Augustiniana doctrinæ summa. Iis principis, Deo dignis, hærete firmiter; ac procul vana illa, novaque signenta ablegare, quibus humana mens altiora Mytheria metiri putat. Unam Scripturam, ac Traditionem consulite, ubi secretas illas, occultasque rationes distere liceat, quibus præpositus Deus corda hominum ad arbitrium inflectit. Fide novimus, Deum omnia, quæcumque voluit, fecisse in cælo, & in terra;

terra; eundemque & in misericordia divitem, & in iudicium incomprehensibilem. (1) Ne igitur ejus omnipotentissimam voluntatem ab humanis affectibus pendere putemus; quasi rerum omniura Conditori Deo mutua nobiscum consilia conferre sit opus, ut sua illi prospere succedat, illeque ipse, qui corda Regum, quovis præ cæteris jure soluta, manu regit, ac pro nutu fleclit, infirmæ prius voluntatis finis exploret, quam sua decreta ferat, ac faciat.

Cætèrum spes nobis est, fore ut, in tradenda Predestinatione gratiæ, non eruditioni tantum, sed & proximorum exemplo utilitati studeatis. Utrumque nos admonet Augustinus, quid docendum, qua ratione docendum. Nedom vitandus est error, unde grave damnum suboriri posset; verum & omnis verborum asperitas, quæ non exemplo, sed scandalo foret. Ea prudentia tractandum illud argumenti genus, humanis mentibus impervium, ne, inspirata fiducia, repositam auditorum animi; aut, ingenerato laboris studio, suis plus æquo viribus fideant. Piæ fiducie rationes ex ipsa orandi necessitate repetit Sanctissimus Doctor, dum inquit; Vos itaque etiam ipsam obediendi perseverantiam a Patre luminum, a quo descendit omne datum optimum, & omnis donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus perscrutari; atque hoc faciendo confidens, non vos esse a Predestinatione populi ejus alienos: quia, ut hæc etiam faciatis, ipse largiatur.

Hæc dum fidelibus monita dabit, non terrori eritis, sed solatio. Nemo quippe non sentit, sua fe in oratione gerere piaz fiducia fundamentum: modo noverit, illud ipsum ex Deo esse, qui orationis affectum inspirat, & exitum donat. Inspirato salubriter orationis affectu, & effectu. (2)

Jam vero, ut uno velut intuitu conspiciere vobis liceat, quid de vestra pietate, in hujusce Argumenti genere pertractando, desideremus, omnia hoc ordine breviter complectimur.

Statuenda in primis gratiæ, atque omnipotentissima Dei gratiæ, nullis ingenitis naturæ dotibus, vel humano liberi arbitrii usura promerita; quæ bonas nobis cogitationes, desideria pia, atque bonos, perseverantiam in finem liberaliter donat. Intima, atque efficac Dei gratiæ, quæ secundum Apostolum operatur in nobis velle, & perficere, (3) qua, ut loquitur Augustinus, Non salum suadet quod bonum est, verum & persuadet. Gratiæ demum victrix, quæ nostram infirmitatem erigat, & contra salutis hostes sua virtute nos maniat; Innocentio I. Pontifice pronuntiant: Necessè est, ut, quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante, vincamur.

Hoc gratiæ genus statueret, facillimum est; cum publicæ Ecclesie preces consulere satis sit; nullamque fidei dogma reperire liceat, luculentioribus Scripturarum, ac Traditionis testimoniis confirmatum.

Ea ad conjurvis boni operis exordium, progressum, confirmationem, ultimamque in finem usque perseverantiam gratia constituta cum Augustino, & Angelico Doctore, demonstrare facile erit, non ipsa duntaxat fide duce, verum & naturali ratione affulgente, Deum ante omne tempus prænovisse, ac destinasse singula beneficia, quibus in hæc mortali vita nos donat. Deo etenim æterno, atque immoto, nihil sæculorum

Serry Tom. II.

tractu accedere potest, quod is facturum se ex æternitate non destinarit, si bonum sit; aut permissurum, si malum. Hæc duo igitur ex æquo constant, ea videlicet beneficia, quibus electi certissime liberantur ex æternitate, nullis eorum exploratis meritis, destinari; eademque illis in tempore gratuito, & efficaciter dari, hujus nempe executione voluntatis, & dilectionis æternæ, qua in Christo ante tempora sæcularia parata fuerant. (4) His duobus fundamentis immotis stat universa Augustini doctrina, ab Apostolica Sede probata, & contra Pelagianos, uti Ecclesie fides, asserta. Hinc, velut ex fonte, derivatur celebratissima Predestinationis definitio, a nobis paulo ante tradita; qua tota paucis exponitur Divinæ gratiæ, ac nostræ salutis dispositio. (5) Hæc est predestinatio Sanctorum nihil aliud; præscientia scilicet, & preparatio beneficiorum Dei, quibus carissime liberantur, quicumque liberantur.

Vestra illuc de Divina gratiæ documenta perpetuo recidunt; alias periculum suberit, ne e regia via in sinistram, aut dexteram deflectatis. Cæteras quæstiones quod attinet, profundiorum, & incurrentium quæstionum numero haberi possent, quas sicut non audeamus contemere, ita non necesse habemus asserere: In hæc verba desinunt Capitula illa celeberrima, quæ S. Cælestini Episcopi, ad Gallicanos Episcopos datæ, adnexa sunt. Ne porro Augustini obrectatores illis forte verbis abaci pergant, ut sanctissimi Doctoris sententiam de gratuita Predestinatione, & efficacia minus a Cælestino probari deant; quæ sequuntur verba, maturius expendant: Ad confutendam gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere, credimus, quidquid, secundum prædictas regulas, Apostolicæ nos Sedis scripta docuerunt; ut profus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium. Qui aures non penitus obtusas habent, noruntque vel leviter, quæ tunc Catholicos inter, & Semipelagianos quæstio esset, hoc uno telo, ac veluti coniectu confici sentiunt universos Augustini olores. Nec satis ad hæc capere possumus, qua tandem audacia Theologi quidam gratuitam Predestinationem inficiantur.

Id porro cavete maxime, ne, de auxiliorum efficacia tractaturi, in extremas illorum partes abeat, qui, tuendæ Divinæ Majestatis studio, humanam libertatem e medio tollunt. Immo, tametsi, postis Traditionis, & Scripturæ Sacre principis, difficillor forte videretur Divina gratiæ, & libertatis humanæ conciliatio, quam, statutis quorundam Recentiorum opinacionibus, votis satis omnino sit, duo hæc fidei Capita possuisse, Deum omnia posse, & sua hominem libertate frui. Cætera uni Deo committite, aut iis, quos ille sua luce perfuderit, ut intimos, reconditorumque modos explorent, quibus, sicuti Scriptura loquitur, (6) facit concordiam in sublimibus; iis nempe, quæ nimia sublimitate terrorem humanis mentibus, incutiunt, vixque a nobis percipi, aut conciliari inter se possunt. Quin potius illa ipsa, quæ a nonnullis obtenditur, hujusce Mytherii explicandæ tanta facilitas magnam præ se fert suspicionem falsitatis; atque adversus Recentiorum conciliationes, Apostolo, Patribusque doctissimis ignotas, omnino præjudicat. Satius profecto erit, reconditissima Mytheria, nusquam hæcenus a Patre luminum revelata, cum Apostolo, & Augustino necire, quam

Zz 2

(1) Psal. 133. 134. Ad Eph. 2. Ad Rom. 11. (2) August. in Epistol. ad Nishum 194. n. 30. (3) Verbum memm non revertetur ad me vacuam, sed faciet, quemcumque voluit, & prosperabitur in his, ad quæ missi illud. If. 55. c. 11. Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneam, Ezech. 36. v. 26. Faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Ibid. 27. lib. 1. de gr. cap. 10. In Ep. ad Const. Carth. de qua est 181. inter Aug. (4) Caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans. Jer. 31. c. 3. (5) Lib. de dono persever. c. 14. (6) Job. 4. c. 23.